

~~T494F94~~

PA  
8340  
A122

340  
122

EX LIBRIS  
FRID. ZARNCKE.

ADSUM AMICIS.

The date shows when this volume was taken.

To renew this book copy the call No. and give to  
the librarian.

20 Oct 1950

APR 7 1950

MAY 1957 H.D.  
K.O.

JUN 4 1957

ncf 3-29

## HOME USE RULES

All Books subject to Recall

All borrowers must register in the library to borrow books for home use.

All books must be returned at end of college year for inspection and repairs.

Limited books must be returned within the four week limit and not renewed.

Students must return all books before leaving town. Officers should arrange for the return of books wanted during their absence from town.

Volumes of periodicals and of pamphlets are held in the library as much as possible. For special purposes they are given out for a limited time.

Borrowers should not use their library privileges for the benefit of other persons.

Books of special value and gift books, when the giver wishes it, are not allowed to circulate.

Readers are asked to report all cases of books marked or mutilated.

Do not deface books by marks and writing.

~~T494F94~~

Roswitha.

# HROTSVITHAE GANDESHEMENSIS,

virginis et monialis Germanicae, gente Saxonica  
ortae,

## COMOEDIAS SEX

ad fidem codicis Emmeranensis typis expressas edidit,

praefationem poetiae et eius epistolam ad quosdam sapientes huius  
libri fautores praemisit,

versiculos quosdam Hrotsvitha, nondum antea editos, eodem ex

codice iis adiunxit

J. <sup>erob</sup> Friedrich <sup>Martinus</sup>  
Bendixen.



LUBECAE,  
impensis librariae Dittmerianae  
MDCCCLVII.  
R

~~1104 F 94~~

St. 58413

Non sine haesitatione aliqua ad emitendum hunc libellum accessimus. Neque enim eos defuturos esse putavimus, qui operam, quam in eo posuisseamus, improbarent, quod vel repetita comoediarum illarum editione opus fuisse omnino negarent, vel quod nos hanc editionem aut alieno tempore aut ratione minus idonea instituisse iudicarent. Haec autem exspectatio cum a proposito nos non retinuerit, et quaenam ea sint, quae scrupulos illos nobis iniecerint, et cur iis non tantum tribuerimus, ut a consilio nostro desistremus, praefationis loco ipsi libello praemitteremus.

Ac primum, ut inde exordiamur, ulla recenti earum editione opus fuisse ii nimirum negabunt, quotquot sunt homines elegantes, qui ipsas comoedias omnino indignas habeant, quae legantur. Qui quidem et ipsi sunt permulti, et ad tuendam illam sententiam permultis rationibus satis instructi. Cui enim usui esse futurum istuc quasi theatrum quoddam monialis et coenebialis inscitiae et fatuitatis, comoedias istas larvarum potius quam personarum, stipitum potius

\*

quam hominum partibus refertas? Quarum quum oratio horrida sit et inquinata, tum quas proponant imagines atque effigies hominum istorum poenitentium et peccantium, anachoretarum istorum et meretricularum, fideique Christianae et martyrum et persecutorum ita omnes ob omni integrae humanitatis veritate recessere, ut aut rigidi torporis callum p[re]se ferant, aut fanaticorum somniis agitantur, aut disciplinae monachicae coenobiorumque flagella et ieunia, cucullos et ineptias redoleant. Ipsorum praeterea argumentorum tractationem nulla locorum varietate, nulla rerum inventarum copia, nullo sententiarum acumine, nulla dictorum hilaritate esse insignem, neque in omnibus his alucinationibus, quae comoediarum nomine olim dignatae sint, quidquam legentium risum facile excitaturum praeter ipsam earum insulsitatem. Itaque nugas illas, quibus in media agrestium Germanorum barbaria agrestes artis scenicae Musae primam quasi inter recentes Europae gentes ballutientis infantiae vocem olim emisisse dicerentur, politioribus saeculis iam dudum vel vetustate consenuisse, vel pudore obmutuisse: *avem* vero illam *raram*, quam Hrotsvitham decimo post Christum saeculo in Saxonie exstitisse faciles admiratores aliquando praedicassent,<sup>1)</sup> iam diu rarissimos tantum homines nactam esse, qui eius cantibus vel clangoribus aures non occluderent.

1) Henricus Bodo. *Syntagma de ecclesia Gandeshemensi: Rara avis in Saxonie visa est.*

Hac vero nostra politissima aetate in tanta antiquisimorum et recentissimorum carminum poetarumque copia et varietate comoediarum istarum et lectionibus et editionibus locum esse relictum nullum.

Haec autem hominum delicatorum fastidia ut e duobus maxime fontibus emanarunt, sic duorum virorum illustrissimorum opera et auctoritate hoc tempore cautum esse videtur, ne in posterum sola sine exceptione regnarent, utque iustioribus quam antehac limitibus coercerentur. Nam ut partim ex ipsis Hrotsvithae comoediis originem duxisse dicuntur, partim eorum hominum nituntur iudicio, qui omnes pariter poetas, qui medio, quod dicitur, aevo ad artem suam exercendam usi essent lingua Latina, spernendos et reiiciendos esse satis diu magna voce paeceperunt, utriusque illius rationis levitatem et imprudentiam Jacobus Grimm et Carolus Magnin, viri illustrissimi, argumentis firmissimis nuper demonstrarunt.<sup>1)</sup> Qui

---

1) Cf. Lateinische Gedichte des X. und XI. Jahrhunderts. Herausgegeben von Jacob Grimm und Andreas Schmeller. Göttingen 1838. (Eorum quae praefatione libri a p. I—LII efficiuntur summa quasi quaedam continetur verbis paginae Lm.: Es ergiebt sich genugsam, — — — wie wenig vorbeigegangen werden kann, diese mittellateinische poesie genau zu studiren.)

Théâtre de Hrotsvitha, religieuse Allemande du X<sup>e</sup> siècle traduit pour la première fois en Français avec le texte Latin revu sur le Manuscrit de Munich, précédé d'une introduction et suivi de notes par Charles Magnin, membre de l'académie des inscriptions et belles-lettres. A Paris chez Benjamin Duprat. 1845.

quidem viri doctissimi cum non solum subtiliter expou-  
serint, carmina illorum poetarum Latinorum pleraque  
omnia quanti momenti essent ad hominum aequalium  
studia atque ingenia, ad temporum illorum instituta  
civilia, demestica, ecclesiastica, ad litterarum ipsorum  
artiumque initia, primaque quae inter nos cepisseht  
inerementa recte aestimanda, sed cum praeterea ipsius  
Hrotsvithae causam gnaviter agendam susceperint,<sup>1)</sup>  
recenti editione operum eius hoc tempore opus esse  
distinctis verbis monuerint,<sup>2)</sup> ipsas has eius comoedias  
studiis virorum doctorum huiusc aetatis summo stu-  
dio commendarint, iisque emendandis, emitteandis, inter-  
pretandis suam operam ipsi navarint:<sup>3)</sup> nos quidem hoc  
loeo non conabimur quaestionem illam latissime paten-  
tem paucis absolvere, sed in hoc virorum illustrissimo-  
rum suffragio libello nostro satis praesidii contra illam  
ineptiarum insimulationem positum esse confidimus.

Sed haec ipsa ad virorum illorum iudicia provo-  
catio facile alteri illi, quod supra significavimus, cri-  
mini ansam praebebit. Cum enim ipsi editionis illius  
nitidissimae, qua comoediae Hrotsvithae nuper Par-  
isiis prodierunt, modo mentionem movimus, ipsi for-

---

1) Cf. Praefatio Caroli Magnini a p. I—LXIV quae, maximam  
partem in Hrotsvithae honorem composita, multis locis copiose  
in eius laudibus versatur.

2) Cf. L. I. Jacobi Grimm p. 10. Eine neue ausgabe (der  
Hrotsvitha) wäre erwünscht.

3) Cf. L. I. Caroli Magnini.

tasse quibusdam indicasse videbimus, hanc nostram editionem alicao tempore esse emissam, neque causam fuisse cur iam hoc tempore eadem illa opera a nobis repeteretur. Abs qua opinione cum multis de causis dissentiamus, quae leviores fortasse quibusdam videbantur leviter mode perstringemus, nec multis verbis ex iis queramus: quotus igitur quisque inter nostros homines sit, qui libri illius ope per hos duodecim annos, ex quo tempore editas est, usum se esse fateatur? eorum autem qui ad pertractandas illas comoedias hoc libre usi sint, quotus quisque propter magnum, quo prostat liber, pretium non e bibliotheca aliqua publica ad tempus mutuari quam domesticae librorum copiae eum adiungere voluerit? quotum quamque denique eorum, qui in his talia curant, non puduerit, quod de gentis nostrae antiquissima poesia iam peregrini homines melius quam eius populares mereri viderentur? Non enim extrinsecus accessendas sed in ipso illo libro positae sunt vel gravissimae causae et rationes cur, ex quo tempore editas est, homines doctos nova comoediarum illarum editione etiam magis quam antea egere putemus. Cum enim liber ille ipsa inscriptione de fide et auctoritate lectienuum suarum, utpote quae illic primum post Conradi Celtis editionem<sup>1)</sup> ex ipso co-

---

1) Editionem illam principem edidit C. Celtis Norimbergae 1501. Fol

dice repetitae sint, praedicare videatur,<sup>1)</sup> tamen, quod pace viri illustrissimi dixerim, qui eum ducem sequentur, de rebus et multis et gravibus saepius, quam antea periculum fuit, a veritate abducentur. Quod quomodo factum sit, eius rei causam vir illustris in praefatione libri illius ipse ingenue explicat. Narrat enim,<sup>2)</sup> cum litteris amici alicuius certior factus esset, vetustissimum illum Hrotsvithae codicem, qui unus ad nostram aetatem pervenisset, hoc tempore in bibliotheca Monacensi regia asservari, et cum intercessione legati Franco-gallici, qui apud aulam regis Bavarii sedem haberet, ab humanissimis bibliothecae illius administratoribus impetrasset, ut ea codicis pars, quae comoedias complecteretur<sup>3)</sup> tam diligenter describeretur, ut etiam singularum litterarum ductus codicem imitati iure quodam ipsius codicis fidem sibi vindicarent, hoc exemplari, tamquam certissimo teste et arbitro lectionum et recipiendarum et reiiciendarum se usum esse in sua comoediarum illarum editione adornanda.

Iam vero cum in exemplis librorum sic describendis difficillime praecaveatur, ne, dum plurima religiosissime exprimuntur, aliqua parum diligenter observentur, mirandum sane non est, si quae illic in lectionum diiudicatione huic exemplo habita est fides,

---

1) Cf. supra p. V annotatio 1.

2) Cf. l. l. Praefat. p. LX.

3) A pagina codicis LXXVIIIA ad CXXIXmam.

ipsius codicis testimonio hand raro refellatur. De qua re cum nobis, instituta ipsius codicis compariatione, nulla relictā sit dubitatio, hoc loco duo illius negligentiae et festinationis genera, quibus exemplar illud a codice aberrasse videtur, breviter indicabimus.

Primum igitur cum in codice illo permulta emendationum vestigia et signa appareant, magna locorum, qua inter se differunt, dissimilitudo ab eo homine, qui describendi codicis munus susceperebat, parum diligenter observata esse videtur. Quidquid enim ex illis ipsius codicis correctionibus in editione Parisiensi recensetur,<sup>1)</sup> ita plerisque locis ad Conradi Celtis coniecturas refertur, ut si his editionis illius annotationibus fidem habeamus, ipse codex erroribus vel omnino non emendatis vel calamo C. Celtis correctis redundare putandus sit. Quae quidem opinio ita a veritate recedit, ut nihil longius. Plurimi enim loci codicis, quibus aliquid emendationis exstat, ita referunt ipsius codicis ductus litterarum, atramentique quo scriptus est colorem, et tam subtilibus, diligenter delineatis, antiquis corrigendi signis sunt instructi, ut nemini qui ipsum codicem inspicerit, dubium relinquatur, quin ipsius

1) Permultae in editione Parisiensi omnino negliguntur, cf. infra p. 8 annot. 1, p. 12 annot. 1, p. 16 annot. 1, p. 26 annot. 2, p. 28 annot. 3, et plurimae earum annotationum criticarum, quae sequuntur, in quibus a nobis nulla editionis illius mentio facta est.

librarii manu et summa cautione ne legendi delectatio  
is minueretur fuerint correcti.<sup>1)</sup>

Ad hunc autem errorem, cuius ad debilitandam  
codicis auctoritatem vis est permagna, accessit eius-  
dem illius hominis in describendo codice altera quae-  
dam indiligentia, qua editio illa recentissima alterius  
eiusdem erroris petrocinium quasi quoddam suscep-

---

1) Iis quae supra disputavimus neque negare volumus in co-  
dice locos reperiri, quibus C. Celtes ipse vel medicinam aliquam  
adhibuerit, vel additamenta quaedam adiunxerit, sed esse per-  
paucos censemus (cf. p. 1 annot. 1, p. 7 annot. 1 cetera), neque  
horum locorum additamenta principi illi editori *conjectura ducti*  
assignamus, sed certissimo quodam oculorum testimonio in hac  
opinione confirmati. In *academica* enim bibliotheca Monacensi  
asservantur schedulae quaedam manu Conradi Celtis conscriptae,  
quarum comparatione omnis hac de re dubitatio tollitur. Nam  
vero cum codex exaratus sit satis magnis, certis, nigro atramento  
delineatis litteris, Conradus Celtas valde exigua, vacillantibus,  
delibutis litterarum ductibus et atramento pallido uti consueve-  
rit, locis quibusdam codicis exstant emendationes, quarum et  
ductus litterarum et atramenti color medium quasi quendam  
locum inter utrumque genus occupare videntur. A tertio quo-  
dam scriptore has *correctiones originem* duxisse facile quis-  
piam dixerit. Cui sententiae quominus assentiamus maxime  
impedimur magna illa diversitate, qua litterarum ductus non  
solum in carminibus heroicis eiusdem codicis discordunt a litteris  
comoediarum, sed qua ipsarum comoediarum partes magnopere  
inter se discrepant. Itaque ne in eundem errorem incidamus,  
quo Carolus Magnus illa *discrepanzia deceptus primae comoedie*  
*argumentum recentiore manu adscriptum fabulae esse senset* (I. L. Introd. p. XXXIII), illis locis plerumque annotavimus: a li-  
brario haec correcta esse *videri*.

pisce videtur. Nam cum codex ille, ut plurimi saeculi X<sup>mi</sup> et XI<sup>mi</sup> libri scripti, in adhibendis distinctionum signis sit admodum parcus, neque ulla facile in ceteris eius carminibus inveniantur, nisi quae significandis versuum terminationibus et caesuris simul inserviant; <sup>1)</sup> tam crebro in comoediis earumque præfatione atque epistola iis praemissa haec signa interposita sunt, ut tanta diversarum eiusdem libri partium hac in re discrepantia ei, qui ad hanc rem animum attenderit, summam faciat admirationem. Quaerentibus autem, unde haec differentia orta sit, primum id quidem apparebit, non ideo multitudinem illam signorum iis, quas diximus, codicis partibus inesse, ut ad expedien-

1) Huius rationis et paucitatis ut quedam exempla afferamus in carmine *de genetrici dei* quinque illi versus qui primum sequuntur (a versu secundo ad sextum) signis illis ad caesuras et terminaciones versuum significandas hoc modo utuntur:

- V. 1. Unica spes mundi dominatrix inclita coeli
- V. 2. Sancta parens regis. lucida stella maris.
- Quae parens mundo. restaurasti pia virgo.
- Vitam quam virgo. perdiditerat vetula.
- Tu dignare tuae famulæ. clementer adesse.
- Hrótswithæ votis. carminaulisque novis.

A septimo versu terminaciones tantum singulorum versuum iis indicantur. — In carmine *de adsoensione domini* a versu primo ad decimam singuli tantum versus his signis separantur, sequuntur novem versus distinctionum signis omnino destituti; in exordio *panegyridis Oddonum* per viginti dues primos versus omnia omnino desunt distinctionum signa, a viceximo tertio versu singulorum versuum exitus iis distinguuntur. Reliqua simillima.

dam orationis interpretationem eorum ope verborum continuatio membris articulisque distinguatur. Nam ut omittamus nullam ne fingi quidem cogitatione posse rationem cur librarius huic codicis parti magis quam alteri hoc interpretationis subsidio opus esse putarit; permulta signa iis locis interposita sunt, quibus nullae omnino enuntiationum particulae adiunctae a principibus earum partibus separantur.<sup>1)</sup> Ex iis vero exemplis, quae hoc loco in annotatione attulimus intelligitur, eos saepissime locos his signis distingui,

---

1) Cf. *Dulcitus* p. 46. *Milt.* Ecce animae corpora sunt egressae et nulla. laesione reperiuntur vestigia.

p. 47. *Sisinn.* Non poteris polluta ultra inter contubernium. computari virginum.

*Callimach.* p. 57. *Andron.* Servandique cura sepulcri. Fortunato nostro relinquatur procuratori.

p. 60. *Joh.* Eventus post facta. docet persaepe rerum discrimina.

*Abrah.* p. 76. *Abr.* Interim eram consternatus mente. ex ostensae visionis terrore.

p. 77. *Abrah.* Postquam evigilans huius solamine visionis. temperabam tristitiam prioris.

p. 78. *Ephr.* Certe et ego. id ipsum patior nunc audiendo.

p. 88. *Maria.* In nullo unquam tui renitor. votis, sed quae iubes obtemperanter amplexor.

p. 89. *Abr.* Ne itineris asperitas. secet teneras plantas.

p. 90. *Maria.* Et ubi me. decernis compunctioni vacare?

*Paphnut.* p. 115. *Thais.* Opus est eius miseratione ne. frangar in dubio certamine.

p. 117. *Paphnutius.* In exigua cellula. deflet sui commissa. Simillima plurima.

qui homoeoteleutorum quadam concinnitate sese excipiant. Accedit quod, cum in ipsis comoediis signa illa aliis locis tam profuse repetantur, ut singulae prope voces iis separentur, aliis locis satis cumulatae enuntiationum complexiones iis paene careant, huic diversitati ita respondere solet diversus ipsorum sermonum color, ut quo sint magis animi affectionibus commoti eo plura, quo sint sedatores et tranquilliores eo pauciora inveniantur.<sup>1)</sup> Quae qui diligenter perpenderint eos nobiscum de eo consensuros esse speramus, ut interpunctionum illarum magnam partem *non grammaticis*, sed *rhythmicis* rationibus servire censeant, eidemque usui statuant earum multitudinem in comoediis fuisse destinatam, cui paucitatem earum reliquis in carminibus. Itaque etiam hic eas id potissimum agere, ut legentes de vocis intentione, remissione, intermissione commoneant, ut homoeoteleutorum vim augeant, ut numerorum oratoriorum concentum aliquo oculorum adminiculo quasi illustrent. Ideo autem in comoediis plurima, in carminibus paucissima signa distinctionum esse inserta, quod in his ipsum dicendi

1) Cf. *Callimach.* p. 63. Nam nimium confundor. cordetenus contristor. anxio. gemo. doleo super gravi impietate mea.

*Abraham.* p. 77. Rapido impetu adveniens. candidulam secus me columbam repperiens. cepit. devoravit. subitoque non comparuit.

*Callim.* p. 69. *Joh.* Ipsi soli honor. virtus. fortitudo. et victoria, laus et iubilatio per infinita saeculorum saecula. Amen.

*Abrah.* p. 89. Matuta nitescit. lucescit. abeamus.

genus certis membrorum mensuris adstrictum multo minus quam in illarum oratione his legibus soluta eorum auxilio egere videretur.

Iam vero cum inter homines doctos quaestio illa nondum sit satis expedita, utrum Hrotsvitha comedias suas soluta oratione scribere, an delectationis et aurium causa, Terentium scilicet imitata, sermones oratoriis numeris ita adstringere voluerit, ut ad versuum similitudinem proxime accederant: <sup>1)</sup> ipsa haec creberrima distinctionum signa, quae in his codicis partibus insunt, quantum ipsa poetria illic huic numerorum concinnitati et homoeoteleutorum concentu tribuendum censuerit liquide demonstrare, et totam illam controversiam certissimo ipsius poetriæ testimonio dirimere videntur.

Parisiensis vero editio cum non solum haec signa negligat, sed ideo a se neglecta esse distinctis verbis doceat, quod temere et nulla certa lege adhibita esse.

1) Hac de quaestione cf. Carol. Magn. l. l. p. XXIX. Freytag: De Hrotsvitha poetria. Vratisl. 1839 p. 25. Insignem nostræ opiniæ confirmationem Philaretus Chasles, homo eruditus, in commentatione, quam de originibus artis scenicae inter Christianos scripsit, attulit. Quia ut demonstraret, Hrotsvitham sermonibus comoediarnum permulta versiculorum simillima immiscuisse, quin etiam in iis saepe iustos versus confecisse, aliquæ sermonum partes ad arbitrium in carminum versus redigere. (Cf. Etudes sur les premiers temps du Christianisme et sur le moyen âge. Paris 1847. Commentat. Via: Naissance du drame chrétien p. 261—276.) Ex his autem exemplis duae circiter partes versuum cum illis ipsius codicis signis plane congruunt.

videantur,<sup>1)</sup> praeterea vero insigni illa, quam prae se fert, religiosae in rebus levissimis diligentiae specie omnem fere coniecturarum aditum, quibus quae omnisca sint suppleantur, legentibus praeccludere videatur: iam his duobus, quae attigimus, errorum generibus afferendis opinionem illam satis confirmasse nobis videmur, qua nova earum comoediarum editione viris doctis iam nunc opus esse censebamus.

Verum enimvero, etiamsi demonstravimus eum qui post Carolum Magnin iam nunc de instituenda nova comoediarum illarum editione cogitet, non praepropere rem modo actam agere, fieri tamen potest, ut viris quibusdam doctis nihilominus haec editio tempore alieno in lucem prodire videatur. Singulari enim casu fieri solet, ut licet Hrotsvithae per longam annorum seriem in patria perpauci extiterint amatores, ne ii quidem ab omni aemulationis et contentio-  
nis suspicione satis sibi cavere potuerint. Nam cum superiore saeculo Schurzfleischius, homo varia doctrina insignis, post ducentorum annorum intervallum alteram Hrotsvithae operum editionem adornasset,<sup>2)</sup> aliquot annis post Harenbergius, homo rerum Gandeshemensium studiosissimus, ab animo impetrare non potuit, ut has partes sedulitate Schurzfleischii sibi praereptas esse

---

1) Cf. l. l. Praefatio p. LXII.

2) Hrotsvithae illustris virginis etc. opera, cura et studio Henr. Leonh. Schurzfleischii. Vitemb. Saxon. 1717 (lega 1707). 4.

reticeret.<sup>1)</sup> Nobis vero cum superioris anni fériis Pentecostalibus ad hanc editionem parandam Monacum nos contulissemus, ibique summa viri illustrissimi, qui bibliothecae regiae est praefectus, liberalitate codicis illius cum editionibus conferendi facta esset potestas, illico post redditum litterae sunt redditae quibus edocebamur, hominem aliquem doctum, proximis mensibus eiusdem illius codicis ope usum, ad omnia Hrotsvithae opera edenda iam sic omnia parasse, ut intra proximarum duarum hebdomadum spatia primae libri plagulae prelo subiici possent. Ad quas litteras rescripsimus, nuntio illo accepto nostrum nos abieciisse comoediarum edendarum consilium, et ex animo Hrotsvithae gratulari quod hominem sui studiosum nacta esset, qui litterarum subsidiis ad eam vestiendam et adornandam nobis multo locupletior et apparatiō esse videretur. Interea abiēre septemdecim menses, neque quidquam ex illo tempore neque de homine illo, neque de eius consilio nobis est auditum. Horum omnium ignari id unum sciebamus, nosmet ipsos si diutius, quo illa promissa essent abitura exspectaremus, mox iis, quae per plurima litterarum compendia, summa festinatione ad usum proximum Monaci notassemus, non satis fidenter esse usuros. Praeterea cum mentem cogitatio subisset, nisi

---

1) Harenberg: Historia diplomat. coenobii Gandeshemensis. Hannover. 1734 p. 1072.

his feriarum autumnalium otiis ad eam rem absol-  
vendam uteremur, et muneris scholastici officiis et  
aliis occupationibus in posterum tam diu nos distractum  
iri, ut nobis quidem nulla omnino reditionis spes ad  
consilii illius huiusque opusculi confectionem relin-  
queretur: non diutius nobis exspectandum, hominem  
autem illum doctum post tam diurnam cunctationem  
et moram consilii nostri mutationem ita in bonam  
partem accepturum putavimus, ut quidquid his rectius  
haberet, id suo tempore nobis impertiret, interea vero  
his, quae ipsi habere nobis videbamur, alios, si quibus  
libitum esset, nobiscum uti humane pateretur.

Quae vero ipsi habere nobis videmur, omnia  
fere posita sunt in maiore libelli nostri cum codice  
congruentia, quam quae in editionibus superioribus  
exstitit. Ad eam rem efficiendam et codicis singula  
verba cum editionibus contulimus, et signa distinctio-  
num descriptsimus, et utraque typis diligenter expri-  
menda curavimus.<sup>1)</sup> Criticas quasdam annotationes  
iis maxime locis addidimus, quibus ab editione Pari-

1) In hac quidem describendi diligentia fortasse verendum est, ne quibusdam viris doctis iustum modum transgressi esse videamur. Cum enim superiores editores multa ex his comoediis, in quibus contra grammaticae regulas esset peccatum, ut errores a librario commissos tollere soliti essent, nos permultis locis idem facere non ausi sumus. Nam licet reliqua eius carmina liquido demonstrent, Hrotsvitham earum legum non fuisse ignaram, e comoediis Terentii et Planti fortasse intellexisse sibi visa est huic sermonum generi liberiore aliquam permitti audiendi licentiam.

sienſi discedendum nobis esse putavimus, in locum autem interpunctionum codicis, ne cum nostris distinctionum signis confunderentur, breves lineolas substituimus.<sup>1)</sup> Quod si vero erunt viri docti, — hoc enim erat tertium quod huic editioni verendum esse praemonuimus, — qui hanc nostram libri edenditionem ut non satis idoneam improbent, et praeter criticas illas annotationes commentarios quosdam desiderent, quibus de locorum difficillimorum interpretatione, de comoediarum argumentis, et fontibus<sup>2)</sup> et consiliis, quae Hrotsvitha in iis persecuta esse videatur, et de similibus quaestzionibus disseratur, duabus nos rationibus permoti sumus ut hoc nostrum opuscolum arctioribus finibus circumscriberemus. Nam cum quae huius generis gravissima et lectoribus harum co-

1) Propter longum intervallum temporis, quod inter compilationem codicis et huius libri emissionem intercessit, facile fieri potuisse coneedimus, ut non omnia illa signa, satis accurate suis locis, sint posita. Pro certo tamen affirmare possumus in exemplis, quae supra attulerimus, et praeterea in ultima comoedia (*Sapientia*) signorum illorum collocationem cum codice plane congruere. Si forte in ceteris nonnunquam a codice paululum aberraverimus, eo facilius eius rei veniam nos impetraturos speramus, quod eae quas diximus partes iam satis superque ad easam ipsam, quae agatur, iudicandam sufficient, et in ipso codice librarii errore quaedam signa loco alieno esse interposita nebis sit persuasum.

2) Ipsa Hrotsvitha inter heroica carmina et comoedijs interposuit (p. LXXVII codicis) haec verba: Huius omnem materiam sicut et prioris opusculi sumsi ab antiquis libris sub certis auctorum nominibus conscriptis: cet.

moediarum maxime necessaria videbantur iam ei interpretationi, qua paucis abhinc annis eas in sermonem patrium vertimus,<sup>1)</sup> adiunxissemus, haec neque, ut illic erant leviter coniecta, sic in hunc librum transscribere voluimus, neque hic, procul remoti ab omnibus bibliothecarum publicarum subsidiis, ut fieri debebat, augere, illustrare, corrigeremus potuimus. Cum vero nonnulli viri docti, qui in ephemeridibus litterariis de illa nostra comoediarum interpretatione egerant, nobis aut vitio vertissent quod Latinas comoedias interpretationi non adiunxissemus, aut cohortando animum nobis fecissent, ut eas ad exactam criticam rationem ederemus, cum ad quaestiones illas, quas Carolus Magnin de earum consiliis movisset expediendas, tali editione maxime opus esset: iam illa eorum viorum voluntate pro viribus explenda operae pretium hac nostri libelli editione nos facturos esse speravimus.

Quod vero sub finem libri versiculos quosdam Hrotsvithae, typis antea non expressos ex illo codice adiunximus, id non ideo quidem factum est, quo eos magni pretii esse iudicaremus sed quia quaecunque antiquissimae nostri populi poetriae carmina ad aetatem nostram pervenissent, maioris utique pretii esse censuimus, quam quae iure et merito perpetua obliterarentur.

Ploenae. Idibus Octobribus. 1857.

**B.**

1) Das älteste Drama in Deutschland, über die Comödien der Nonne Hrotsvitha von Gandersheim, von J. Beudixen. Erste Hälfte 1850. Altona. Zweite Hälfte 1853. Altona.



**Hrosvithae illustris mulieris Germanicae, gente  
Saxonica ortae, in sex comoedias suas praefatio incipit feliciter.<sup>1)</sup>**

---

Plures inveniuntur catholici, cuius nos penitus expurgare nequimus facti, — qui pro cultioris facundia sermonis, — gentilium vanitatem librorum utilitati praeferunt sacrarum scripturarum. Sunt etiam alii sacris inhaerentes paginis, — qui licet alia gentilium spernant, — Terentii tamen figmenta<sup>2)</sup> frequentius lectitant, — et dum dulcedine sermonis delectantur, — nefandarum notitia rerum maculantur. Unde ego, *clamor validus*<sup>3)</sup> Gandeshemensis, — non recusavi illum imitari dictando, dum alii colunt legendō; — quo eodem dictationis genere, quo turpia

---

1) Haec inscriptio manu Conradi Celtis comoediarum praeftationi in codice praemissa.

2) Codex: Terentii tamen figmenta: correctio utroque loco, nisi fallor, iam ipsius librarii calamo leviter indicatur.

3) De hac latina nominis Hrosvithae interpretatione cf. Lateinische Gedichte des X. und XI. Jahrhunderts von J. Grimm und Andr. Schmeller. Göttingen 1838. Praefatio p. IX. annot.

- lasciviarum iincesta feminarum recitabantur, — laudabilis sacrarum castimonia virginum iuxta mei facultatem ingenioli celebraretur. Hoc tamen facit non raro verecundari — gravique rubore perfundi, — quod huius modi specie dictationis cogente, — detestabilem inilicite amantium dementiam — et male dulcia colloquia eorum quae nec nostro auditui<sup>1)</sup> permittuntur accommodari, — dictando mente tractavi — et stili officio designavi. Sed si<sup>2)</sup> haec erubescendo neglegerem, — nec proposito satisfacerem, — nec innocentium laudem adeo plene iuxta meum posse exponerem, — quia quanto blanditiae amentium<sup>3)</sup> ad illiciendum promptiores, — tanto et superni adiutoris gloria sublimior — et triumphantum victoria probatur gloriosior, praesertim cum feminea fragilitas vinceret — et virile robur<sup>4)</sup> confusione subiaceret. Non enim dubito mihi ab aliquibus obiici — quod huius vilitas dictationis multo inferior — multo contractior, — penitusque dissimilis eius, quem proponebam imitari; — sit, sententiis concedo: — ipsis tamen denungio — me in hoc iure reprehendi non posse, quasi his vellem abusive assimilari, — qui mei inertiam

1) Sic in codice scripta vox legitur, non ut Magnin docet: autitui.

2) Particula conditionalis deest in codice; auctoritate Conradi Celitis in omnes editiones recepta.

3) Cur hanc vocem codicis, ut ceteri editores, convertamus in: *amantium*, non video idoneam causam.

4) In codice: *virilis* robur; Celtes retinuit, ceteri correxerunt.

longe praecesserunt in scientia sublimiori. Nec enim tantae sum iactantiae, — ut vel extremis me prae sumam conferre auctorum alumnis, — sed hoc solum nitor, — ut licet nullatenus valeam apte, supplioi tamen mentis devotione acceptum in datorem retor queam ingenium. Ideoque non sum adeo amatrix mei, — ut pro vitanda reprehensione, Christi qui in sanctis operatur virtutem, quoevere ipse dabit posse, cessem praedicare. Si enim alicui placet mea devotio, — gaudebo; si autem vel pro mei abiectione, vel pre vitiisi sermonis rusticitate nulli placet, — memet ipsam tamen iuvat quod feci; quia, dum proprii vilitatem laboris in aliis meae inscientiae opusculis hereroeo ligatam strophio, — in hoc dramatica<sup>1)</sup> iunctam serie colo: — perniciose gentilium delicias absti nendo devito.<sup>2)</sup>

## EPISTOLA

eiusdem ad

**quosdam sapientes huius libri fauteres.**

Pfene sciis et bene moratis — nec alieno profectui invidentibus, sed ut decet vere sapientes congratulantibus, — Hrotsvit<sup>2)</sup> nesciola, nullaque probitate

1) Codex: drammatica, — divito.

2) Sic hoc loco nomen poëtriae in codice scriptum est.

idonea, — praesens valere et perpes gaudere. Vestræ igitur laudandæ humilitatis magnitudinem satis admirari nequeo, — magnificaæque circa mei utilitatem benignitatis atque dilectionis plenitudinem condignarum recompensatione gratiarum remetiri non sufficio — quia cum philosophicis adprime studiis enutriti — et scientia longe excellentius sitis perfecti, mei opusculum, vilis mulierculæ, — vestra admiratione dignum duxistis, — et largitorem in me operantis gratiae — fraterno affectu gratulantes laudastis, — arbitrantes mihi inesse aliquantulam scientiam artium, quarum subtilitas longe praeterit mei muliebre ingenium. Deinde rusticitatem meæ dictatiunculae hactenus vix audebam paucis ac solummodo familiaribus meis ostendere, — unde<sup>1)</sup> pene opera cessavit dictandi ultra aliquid eiusmodi, quia, sicut pauci fuere, qui me prodente perspicerent, — ita non multi, — qui vel quid corrigendum inesset enuclearent, — vel ad audendum aliquid huic simile provocarent. — At nunc, quia trium testimonium constat esse verum, vestris corroborata sententiis, — fiducialius praesumo et componendis operam dare, si quando deus annuerit posse, — et quorumcunque sapientium examen subire. — Inter haec diversis affectibus, gaudio videlicet et metu, in

---

1) In præfatione monuimus, distinctionis illius rhythmicæ signa errore librarii nonnunquam loco alieno interposita videri. Exempli gratia affero, hoc loco in codice post unde tale signum inveniri

diversum trahor. Deum namque; cuius solummodo **gra-**  
**ta** sum id quod sum, in me laudari cordetenus **gaudeo**,  
 — sed maior quam sim videri timeo, — quia utrumque  
 nefas esse non ambigo, et gratuitum donum dei ne-  
 gare, — et non acceptum accepisse simulare. Unde  
 non denego praestanti gratia creatoris per dynamin  
 me artes scire, — quia sum animal capax disciplinae, —  
 sed per energian<sup>1)</sup> fateor<sup>2)</sup> omnino nescire. Perspicax  
 quoque ingenium divinitus mihi collatum esse agnosco,  
 — sed magistrorum cessante diligentia incultum, — et  
 propriae pigritia inertiae torpet neglectum. Quapropter  
 ne in me donum dei annullaretur ob negle-  
 gentiam<sup>3)</sup> mei, — si qua forte fila vel etiam floccos  
 de panniculis a veste philosophiae abruptis evellere  
 quivi, — praefato opusculo inserere curavi, — quo  
 vilitas meae inscientiae, intermixtione nobilioris ma-

1) Sic codex, non ut editores: *energiam*.

2) Codex: *fator*; littera *e* ipsius librarii manu superscripta.

3) *Neglegentiam, neglegere*: has huius nominis et verbi formas Hrotsvitha omnibus locis videtur magis usitatis (*negligentiam, negligere*) praetulisse; ideo retinuimus. Sunt praeterea permulta, in quibus librarius a more et ratione scribendi saepissime aberrat. Omnibus fere locis: *haut* pro haud, *iocundus* pro iucundo, *mansurnus* pro mensurno; littera *h*. saepissime aut suo loco omissa, aut alieno inserta (harundineus, habundare, Habraham, actenus, ei pro hei et similia) vocales et diphongi *o* et *u*, *e* et *ae*, *ae* et *e*, litteras consonantes *c* et *t*, *f* et *ph* inter se permutatae. De quibus satius duxi semel monere, quam exscribendis his vitiis legentium oculos saepe offendere.

steriae illustraretur, — et largitor ingemii — tanto amplius in me iure laudaretur<sup>1)</sup> — quanto multiebris sensus tardior esse creditur. Haec mea in dictando intentio, — haec sola mei sudoris est causa, — neque simulando me nescita scire iacto, sed quantum ad me tantum scio quod nescio. Quia enim attactu vestri favoris latque petitionis arundineo more inclinata, — libellum, quem tali intentione disposui, — sed usque huc pro sui vilitate occultare — quam in medium proferre malui, — vobis perserutandum tradidi, — decet ut non minoris diligentia sollicitudinis eum emendando investigetis, quam proprii seriem laboris; — et sic tandem ad normam rectitudinis reformatum malhi remittite, quo vestri magisterio praemonstrante — in quibus maxime peccassem possim agnoscer.

---

1) Sic Codex, non ut Magnin monet: laudetur.

# I. Gallicanus.<sup>1)</sup>

## Argumentum in Gallicanum.<sup>1)</sup>

Conversio Gallicani principis militiae, qui iturus ad bellum contra Scythes, sacratissimam virginem Constantiam, Constantini imperatoris filiam desponsavit, sed in conflictu proelii nimium coartatus, per Joannem et Paulum, primicerios Constantiae conversus ad baptismum convolavit, caelibemque vitam elegit. Postea autem iubente Juliano apostata in exilium missus martyrio est coronatus. Sed et Joannes et Paulus eodem iubente clam occisi et in domo occulte sunt sepulti. Nec mora: percussoris filius a daemonio arreptus, patris commissum et martyrum confitendo meritum iuxta eorum sepulchra salvatus, una cum patre est baptizatus.

## Gallicanus.

### FABULAE PERSONAE.<sup>1)</sup>

**Constantinus** imperator. **Gallicanus.** **Constantia.**

**Artemia.** **Attica.** **Joannes.** **Paulus.** **Principes.**

### SCENA I.<sup>1)</sup>

**Constantinus.**<sup>2)</sup> Taedet me, Gallicane, morarum,  
quia gentem, quam scis Scytharum, — Romanae solum

1) Nullas in codice neque comoediuarum, neque argumentorum, neque personarum, neque scenarum antiquitas inventas fuisse inscriptiones et notationes, argumentorum *inscriptiones* manu Conradi Celtis esse additas, reliqua etiam nunc omnibus in comoediis deesse hic semel monemus.

2) Constantini nomen hoc loco deest in codice.

resistere paci, — nostrisque temere praeceptis reluctari,  
— bello protrahis laceссere, — quum pro tui strenuitate  
— id tibimet exercitii<sup>1)</sup> — ad defensionem non  
ignores patriae servari.

*Gallicanus.* Tuis, o auguste Constantine, obnixe  
manibus pedibusque semper insistens obsequiis, —  
tuae augustalis excellentiae votis — effectu conabar  
respondere operis, — nec umquam me subtraxi  
faciendis.<sup>2)</sup>

C. Si<sup>3)</sup> opus est monitu, nam memoriae fixum  
teneo. Unde monui — hortando potius quam ar-  
guendo, — morem ut geras.<sup>4)</sup>

G. Id ipsum etiam studebo nunc.

C. Gaudeo.

G. Nec amore vitae abduci potero, — quin per-  
agam quae iubes.

C. Placet, tuique in me benivolentiam laudo.

G. Sed summa implendae intentio servitutis —  
summam expeſlit recompensationem mercedis.

1) Codex: exercii.

2) Ut plerisque locis etiam hic personarum nomina per compendia verborum indicata, nec tamen, ut Magnin censem, hoc loco *G. resp.* (*Gallicanus respondet*) recentiore manu exaratum; littera *G.* tique ab ipso codicis librario, neque reliquae litterae: *resp.* a Conrade Celte sunt scriptae.

3) Haec particula conditionalis, saepissima apud Hrotsvitham significacione aliqua dubitandi vel negandi instructa, idem prope declarat, quod *num*, vel *non*.

4) Cod. gerer. Correctio ipsius librarii manu addita.

**C.** Nec iniuria.

**G.** Difficultas enim cuiuscunque laboris tolerabilius fertur, — si haud incerta accipiendae spe mercedis relevatur.

**C.** Patet.

**G.** Unde incundi praemium periculi — mihi quae so proponas in praesenti, — quo impigre dimicans sudore non frangar certaminis, animatus spe retributionis.

**C.** Quod dignissimum omnique videbatur senatui gratissimum — nunquam tibi negabam aut negabo praemium, — scilicet nostrae adeptionem familiaritatis, — praecipueque inter palatinos dignitatis.

**G.** Fateor, — sed id nunc haud molior.

**C.** Si aliud expetas, — oportet proferas.

**G.** Immo aliud.

**C.** Quid?

**G.** Si praesumo dicere.<sup>1)</sup>

**C.** Et bene.

**G.** Irasceris.

**C.** Nullo modo.

**G.** Certe.

**C.** Non.

**G.** Moveberis indignatione.

**C.** Ne id vereare.

**G.** Dicam, — iussisti; Constantiam tuam natam — amo.

---

1) Magnin: Si praesumo dicere..... Nulla reticentiae signa in codice.

C. Et merito. — Decet enim<sup>1)</sup> ut herilem filiam  
— honorabiliter ames — et amabiliter honores.

G. Interrumpis dicenda.

C. Non interrumpo.

G. Ipsamque, si tua annuerit pietas, despōnsare  
vestib. —

C. Non leve appetit praemium, — sed summum —  
vobisque, o principes, ante insolitum.

G. Eh het, deginatur; praescivi. Instate, quæso,  
me cum precibus.

*Principes.*<sup>2)</sup> Decet tuam, imperator egregie, digni-  
tatem, — ut pro sui reverentia hoc illi non abhuas.

C. Si abnuo quantum ad me; — sed subtili pri-  
mum inquisitione reor investigandum, — an filia  
præbeat assensum.

*Princip.* Consequens est.

C. Ibo, — ipsamque, si velis, Gallicane, pro hac  
re appellabo.

G. Ac libens.

## S C E N A II.

*Constantia.* Dominus imperator adit nos solito  
tristior. — Quid velit vehementer admiror.

---

1) Magnin cœset, voceim enim recentiore manu in codicis ad-  
scriptam esse. An non recte ita statuat, dubito.

2) Codex: *P.*, postea pallidiore atramento, iisdem litterarum  
duecibus, ut enim, additae sunt litterae: *principes*. Utrumque, nisi  
fallor, manu ipsius librarii.

**Constantinus.** Huc ades; filia Constantia, paucis  
te volo.

**Constantia.** Assum, domine mi; — iube quid velis.

**Citius.** Anxietate cordis fatigor, — gravique  
afficta afficior.

**C.tia.** Ut te venientem aspexi, — tristitiam deprehendi,  
et hanc causam ignorarem, — conturbata pertimui.

**C.tinus.** Tui causa contristor.<sup>1)</sup>

**C.tia.** Me?

**C.tinus.** Tui.

**C.tia.** Expaveo; quid est domine mi?

**C.tinus.** Piget dicere, — ne contristeris.

**C.tia.** Multo magis contristor, — si non dixeris.

**C.tinus.** Gallicanus dux, cui frequens successus  
triumphorum — primum inter principes dignitatis  
adquisivit gradum, — cuiusque ope — saepissime in-  
digebus — ad defensionem patriae... ●

**C.tia.** Quid ille?

**C.tinus.** Desiderat te sponsam habitum ire.

**C.tia.** Me?

**C.tinus.** Te.

**C.tia.** Malum mori.<sup>2)</sup>

**C.tinus.** Praesevi.

**C.tia.** Nec mirum; — quia tuo consensu, — tuo  
permisso, — servandam deo virginitatem devovi. ●

**C.tinus.** Memini.

1) Codex: contristor; ipse librarius adscriptit litteram: n.

2) Codex: malum; editores: malem.

*C.tia.* Nullis enim suppliciis umquam potero compelli, — quin inviolatum custodiam sacramentum propositi.

*C.tinus.* Convénit. Sed hinc coartor nimium, — quia si, quod debet fieri, — paterno more, te in proposito permansum ire consenserо, — haud leve damnum patiar in publica re. — Si autem, quod absit, repitor, — aeternis cruciandus poenis subiacebo.

*C.tia.* Si enim divinum desperarem adesse auxilium, mihi quam maxime, — mihi potissimum esset dolendum.

*C.tinus.* Verum.

*C.tia.* Nunc autem nullus relinquitur locus moestitiae, — praesumenti de domini pietate.

*C.tinus.* Quam bene dicis, mea Constantia.

*C.tia.* Si meum digneris captare consilium<sup>1)</sup> prae-monstrab, — qualiter utrumque evadere possis damnum.

*C.tinus.* O utinam!

*C.tia.* Simula, prudenter peracta expeditione, — ipsius votis te satisfacturum esse: — et ut meum concordari credat velle, — suade, quo suas interim filias, — Atticam, — ac Artemiam, — velut pro solidandi pignore amoris, mecum mansum ire, — meosque principeros Joannem et Paulum secum faciat iter arreptum ire.

---

1) Codex: consilium; librarius ipse correxit scripturam.

*Ctinus.* Et quid, — si victor revertetur — mihi erit agendum?

*Ctia.* Reor omnipatrem prius esse invocandum, — quo ab huiusmodi intentione Gallicani revocet animum.

*Ctinus.* O filia, filia, — quantum dulcedine tuae alloquutionis — amaritudinem dulcorasti moesti patris, — adeo ut pro hac re — nulla posthaec movear sollicitudine.

*Ctia.* Non est necesse.

*Ctinus.* Eam, et Gallicanum laeta promissione circumveniam.

*Ctia.* Vade in pace, — mi domine.

### SCENA III.

*Gallicanus.* Curiositate frangar, — o principes, — antequam, quid mis<sup>1)</sup>) senior Augustus tamdiu cum herili filia agat, experiar.

*Principes.* Suadet illi velle quae desideras.

*G.* O utinam praevaleret suasio.

---

1) Celtes in praefatione editionis principis et epistola ad Fredericum III. Saxoniae electorem: „Incredibile dictu, quanto stupore et gaudio correptus fuerim, dum mulierem Germanam post sexcentos annos — — — Latina oratione et versu loquentem legissem. Mirabar in ea vehementer tria, — — — quod talia puellari aetate scripserit, et femina, in media barbarie et patria horrida genita. Mirabar insuper antiquas verborum et nominum inflexiones, et structuras, ut sois pro sibi, tis pro tibi, mis pro mihi — — et id genus plura.“ Nihilominus hoc loco vir doctus vocem Ennianam et Plautinam codicis e medio sustulit et in eius locum substituit: meus.

*Pr.* Forsitan praevalebit.

*G.* Silete, — quiescite, Augustus revertitur, non ut abiit obscuro, — sed vultu admodum sereno.

*Pr.* Bona fortuna.

*G.* Si enim, ut dicitur, speculum mentis est facies, serenitas faciei, — mansuetudinem forte designat eius animi.

*Pr.* Ita.

#### SCENA. IV.

*Constantinus.* Gallicane!

*Gallicanus.* Quid dixit?

*Principes.* Procede, procede, vocat te.

*G.* Dii propitii, favete!

*C.* Perge securus, Gallicane, ad bellum. Rever-surus enim accipies, quod desideras praemium.

*G.* Illudisne me?

*C.* Si illudo!

*G.* Me felicem, si unum scirem.

*C.* Quid unum?

*G.* Eius responsum.

*C.* Filiae?

*G.* Ipsius.

*C.* Iniusta satis ratio in hac re — verecundae virginis responsum quaerere. Consequentia autem rerum monstrabit eius assensum.

*G.* Si hunc scirem, responsum flocci facerem.

*C.* Licet, experiare.

**G.** Exopto.

**C.** Sui primicerios Joannem et Paulum tecum  
commoratum iri decrevit usque in diem nuptiarum.

**G.** Quam ob causam?

**C.** Quo illorum ex confabulatione — ipsiusa vitam,  
mores, consuetudines possis praenoscere.

**G.** Bonum consilium, mihiique quam maxime  
placitum.

**C.** Scilicet tui filias secum versa vice desiderat  
interim mansum ire, quatinus illarum per sodalitatem  
tibi fiat morigerā.

**G.** Euax, euax! Omnia meis respondent votis,

**C.** Fac, ut adducantur citius.

**G.<sup>1)</sup>** Statis milites! Currite, abite, adducite filias  
ad obsequium sui dominae.

#### S C E N A V.

**Milites.** Assunt illustres Gallicani natae, tuae fa-  
miliaritati, hera Constantia, pro sui pulchritudinis,  
sapientiae et probitatis perspicuitate satis aptae.

**Constantia.** Placet. Introducantur honorifice.<sup>2)</sup> —

---

1) Codex: C.

2) De hoc loco ita disputat Magnin: „Codex: introducuntur. Celtes: introducantur. Haec verba parenthesis nota inclusi, quia, ni fallor, ad sermonis seriem non pertinent, sed de iis quae in *scena aguntur* nos monent.“ — At cum emendatio ista in ipso codice inveniatur, et litterarum ductus multo propius accedant ad litterarum libraril quam editoris principis similitudinem, quam audax sit illa coniectura et permutatio non est quod multis ver-  
bis exponam.

Amator virginitatis — et inspirator castitatis, Christe,  
 — qui me precibus martyris tuae Agnetis — a lepra  
 pariter corporis et ab errore eripiens gentilitatis —  
 invitasti ad virginem tui genericis thalamum, in  
 quo tu manifestus es verus deus, retro exordium natus  
 a deo Patre — idemque<sup>1)</sup> verus homo, ex matre natus  
 in tempore, — te veram et coaeternam Patri sa-  
 pientiam, — per quam facta sunt omnia — et cuius  
 dispositione consistunt et moderantur universa, —  
 suppliciter exoro, — ut Gallicanum, qui tui in me  
 amorem surripiendo conatur extinguere, post te tra-  
 hendo — ab infesta intentione revocare suique filias  
 digneris tibi assignare sponsas, — et instilla cogi-  
 tationibus earum tui amoris dulcedinem, — quatinus  
 execrantes carnale consortium pervenire mereantur  
 ad sacrarum societatem virginum.

*Artemia.* Ave, — Constantia, imperialis hera.

*Constantia.* Salvete, — sorores, — Attica et Ar-  
 temia; — state, state, ne procidatis, sed libate mihi  
 osculum amoris.

*Artemia.* Tuum ad obsequium, domina, alacri-  
 mente venimus, — tuae ditioni summa devotione nos  
 subiecimus, — tantum, ut tua nobis abundet gratia.

*C.tia.* Unum dominum habemus in coelis, — cui  
 debetur devotio nostrae servitutis, — in cuius fide  
 et delectione condeceret nos servata corporis integritate

---

1) Codex: idemque quae.

unanimiter perseverare, — ut mereamur aulam coelestis patriae cum palma virginitatis introire.

*Artemia.* In nullo reluctamur, sed testes in omnibus praecepsis parere nitimur, praecipue in agnitione veritatis, — et servandae proposito virginitatis.

*C.tia.* Congrua satis responsio, — vestraque ingenuitate condigna, — nec dubito quin divinae inspiratione gratiae ad credendum estis perventae.<sup>1)</sup>

*Artemia.* Qui posset fieri, ut servientes idolis sanum saperemus, sine illustratione supernae pietatis?

*C.tia.* Stabilitas vestrae fidei — spem mihi excitat de credulitate Gallicani.

*Artemia.* Admoneatur tantum, — haud dubium, quin credat.<sup>2)</sup>

*C.tia.* Advocentur Joannes et Paulus.

## S C E N A VI.

*Joannes.* Praesto sumus, — hera, quod<sup>3)</sup> vocasti.

*Constantia.* Ite citi ad Gallicanum, et inherentes eius lateri — suadete illi paulatim mysterium nostrae fidei, — si forsitan illum deus dignetur per nos lucrari.<sup>4)</sup>

1) Editio Schurzfleischiana: *per venturae*.

2) Codex: *credat quin*.

3) Codex: *quos*; emendatione per antiqua: *quod* in eius locum est substitutum.

4) *Lucrari* non, ut Magnin monet, est emendatio Celtis, neque codex, ut idem censet: habet *luctari*. Haud suo an in codice primum scriptum fuerit: *lactari*: utique emendatio: *lucrari* in

*Paulus.* Deus det proventum! — Nos adhibebimus frequentationes hortamentorum.

### S C E N A VII.

*Gallicanus.* Opportune advenitis, Joannes et Paule; suspensis diu animis vestrum praestolabar adventum.

*Joannes.* Ut vocem iubentis domnae hausimus, — tibi ad obsequendum convolavimus.

*G.* Multo magis vestro quam aliorum delector obsequio.

*Paulus.* Non immerito, nam vulgo dicitur: quod dilecti socius et ipse fit dilectus.<sup>1)</sup>

*G.* Verum.

*Joannes.* Dilectio mittentis herae reconciliatur nos familiaritati tuae.

*G.* Non nego. Convenite, congregamini, tribuni et centuriones, omnesque mei iuris milites. Assunt Joannes et Paulus, quorum detinebar absentia ne pergerem.

*Tribuni.* Praecede, collectim comitantur.<sup>2)</sup>

ipso exstat codice, ductibus litterarum, qui quam maxime a scriptura Conradi Celtis discedunt.

1) Sic codex. Errore Conradi Celtis, qui hoc loco litteras codicis perperam inter se coniunxisse, et similiter ut Magnin, legisse videtur: *quod dilectis ocius*: in verae lectionis locum irrepserunt in omnes editiones verba: *qui dilectis obsequitur et ipse fit dilectus*.

2) *Collectim comitantur.* Haec verba Magnin uncis inclusit.

*G.* Capitolium et templa primum nobis intranda,  
numinaque deorum placanda sunt ritu sacrificiorum,  
quo prosperent igitur exitum<sup>1)</sup> pugnae.

*Tribuni.* Necessae.

*Joannes.* Subtrahamus nos interim.

*Paulus.* Decet.

### S C E N A VIII.

*Joannes.* En, dux egreditur; ascendamus equos,  
offeramus nos obviam.

*Paulus.* Ac citd.

*Gallicanus.* Unde venitis? Ubi fuistis?

*Joannes.* Stravimus sarcinulas, praemisimus, quo  
expediti — tuum iter possimus comitari.

*Gallicanus.* Placet.

### S C E N A IX.

*Gallicanus.* O tribuni, proh Juppiter! aspicio  
innumerabilis exercitus legiones, — variis armorum  
instrumentis horribiles.

*Tribuni.* Hercle hostes!

*G.* Resistamus fortiter, — et congregiamur viriliter.

*Trib.* Si est utilis nostri congressio cum tantis?

*G.* Et quid mavultis?

*Trib.* Submittere colla.

*G.* Nolit hoc Apollo.

---

1) Sic, ni fallor, codex. Celtes: quo prosperentur exitum.  
Magnin, quo prosperentur exitus.

**Trib.** Aedepol faciendum. En undiquesecus circumdamur, vulneramur, perimimur.

**G.** Eh heu! quid erit, cum tribuni me spernunt, se tradunt?

**Joannes.** Fac votum deo coeli — te christianum fieri, — et vinces.

**G.** Voveo, et opere implebo.

**Hostes.** Heus! rex Bradan, sperrandae fortuna victoriae illudit<sup>1)</sup> nos. En dextrae languescent, vires fatiscent;<sup>2)</sup> sed et inconstantia pectoris — cogit nos discedere ab armis.

**Bradan.** Quid dicam ignoro; ipsa, quam toleratis me urget passio. Restat ut nos duci tradamus.

**Hostes.** Alias non evademus.

**Bradan.** Dux Gallicane, noli in nostri perniciem saevire, — sed parce et utere, ut libet, nostra servitute.

**Gallicanus.** Ne trepidetis, ne formidetis; — sed datis obsidibus facite vos tributarios imperatoris et vivite beate sub Romana pace.

**Hostes.**<sup>3)</sup> Tuo arbitrio pendet quot, qualesque accipere, — quantumque pondus solvendi census nobis velis imponere.

1) Non, ut Magnin censet, in codice: *illudit*, emendatione Conr. Celtes illudit. Ipsius librarii manu in codice festinationis error correctus esse videtur.

2) Sic codex, Magnin: *languescunt, fatiscunt*.

3) Sic codex. Conrad. Celtes et Magnin in *hostium* locum regis Bradan nomen substituerunt.

*Gallicanus.* Solvite procinctum, mei milites; — nemo laedatur, nemo perimatur; amplectamur foederatos, quos publicos insectabamus<sup>1)</sup> inimicos.

*Joannes.* Quanto magis valet intenta precatio, — quam humana praesumtio.

*Gallicanus.* Verum.

*Paulus.* Quam efficax his aderit superna miseration, — quos deo commendat humilis devotio.

*Gallicanus.* Perspicuum.

*Joannes.* Sed quod vovetur in perturbatione, — solvendum est in tranquillitate.

*Gallicanus.* Assentio; unde quantocius baptizari gestio, ac reliquum vitae in dei obsequio vacare.

*Paulus.* Justum.

#### S C E N A X.

*Gallicanus.* Ecce, in introitu nostro proruunt Romani urbicolae; — insignia laudum ferentes ex more.

*Joannes.* Consequens est.

*Gallicanus.* Sed nec nostrae, nec deorum fortitudini — titulus debetur triumphi.

*Paulus.* Nullo modo, sed vero deo.

*Gallicanus.* Unde templa arbitror transeunda.

*Joannes.* Recte arbitraris.

*Gallicanus.* Et limina apostolorum supplici confessione esse intranda.

---

1) Sic codex, non, ut Magnin monet: insectamur.

*Paulus.* O te tali opinione felicem! Nunc testaris  
te verum christicolam.

## SCENA XI.

*Constantinus.* Admiror, o milites, cur Gallicanus  
tamdiu se subtrahat nostris conspectibus.

*Milites.* Ut arbem intravit, gressum ad domum  
sancti Petri concite tetendit, terratenusque prostratus  
pro recepta victoria grates impendit altithrono.

*Constantinus.* Gallicanus?

*Milites.* Ipse.

*Constantinus.* Incredibile.

*Milites.* En, accedit; ipsum potes sciscitari.

## SCENA XII.

*Constantinus.* Dū te, Gallicane, sustinui, — ut  
modum exitumque experirer proelii.

*Gallicanus.* Dicam digestim.

C. Hoc interim parvi pendo, — que edisseras,  
quod magis exopto.

G. Quid est?

C. Cur iturus deorum templo — et revertens in-  
trares apostolorum tecta?

G. Rogas?

C. Curios.

G. Expono.

C. Exopto.

G. Fateor, sacratissime imperator, iturus, ut

obiecisti, sacella intravi — meque daemonis et diis  
supplex commisi.

- C. Hoe Romanis antiquitus fuit in more.
- G. Mala consuetudo.
- C. Pessima.
- G. Quo peracto<sup>1)</sup> tribuni cum suis legiomibus  
advenere, — meque euntem undique secus sepsare.
- C. Pomposo admodum apparatu egrediebaris.
- G. Promovimus, hostes impiegimus, commisimus,  
victi sumus.
- C. Romani victi!
- G. Penitus.
- C. O res dira, omnibusque sealis inaudita!
- G. Ego quidem nefanda sacrificia iteravi, — neō  
aderant, qui adiuvarent dii; — sed invalecente con-  
gressione plurimi ex nostris interiere.
- G. Confundor audiendo.
- G. Tandem tribuni me speraverunt, se tradiderunt.
- C. Hostibus?
- G. Ipsi.
- C. Ah! quid fecisti?
- G. Quid possem facere, nisi fugam captare?
- C. Non.
- G. Etiam.
- C. Quantis tunc angustiis — urgebatur constantia  
tui pectoris?

---

1) Sic Codex, editiones: pacto.

- G.** Maximis.
- C.** Et quomodo evasisti?
- G.** Mis familiares socii, Joannes et Paulus, suaserunt mihi — votum fecisse creatori.
- C.** Salubre.
- G.** Experiebar. Ut os ad vovendum aperui, — coeleste iuvamen sensi.
- C.** Quo pacto?
- G.** Apparuit mihi iuvenis procerae magnitudinis — crucem ferens in humeris, et praecepit ut stricto mucrone illum sequerer.
- C.** Quisquis ille erat, — coelitus missus fuerat.
- G.** Comprobavi; — nec mora, astiterunt mihi a dextra laevaque milites armati, — quorum vultum minime agnovi, promittentes auxilium sui.
- C.** Coelestis militia.
- G.** Non ambigo. At ubi sequens praecedentem securus inter medias hostium ingrederer acies perveni ad regem eorum, nomine Bradan, qui mox incredibili metu correptus, — pedibusque meis provolutus, — secum suis subdidit, professus censem principi Romani orbis finetenus solvendum. —
- C.** Grates prosperitatis auctori, — qui in se sperantes non patitur confundi.
- G.** Experimento didici.
- C.** Velleum experiri quid deinde profugi actitarent tribuni.
- G.** Maturabant reconciliari.

C. Recepistin' gratis?

G. Ego illos<sup>1)</sup> gratis, — qui me periclis,<sup>2)</sup> qui se inimicis? haud ita.

C. Et qui?

G. Proposui promerendae gratiae pretium.

C. Quale?

G. Videlicet sectam christocolarum, quam qui elegerit,<sup>3)</sup> gratiam susciperet priorem, honoremque ampliorem; qui vero spreverit,<sup>4)</sup> gratia simul privaretur et militia.

C. Recta propositio, tuaque auctoritate condigna.

G. Ego quidem, baptismate imbutus, totum me deo subiugavi, in tantum, ut tuae, quam prae omnibus dilexi, abrenuntiarem filiae, quo abstinentis coniugii — placerem virginis proli.

C. Accede propius, — ut irruam in tuos amplexus. Nunc quidem, nunc cogor tibi detegere — quod ad tempus studebam velare.

G. Quid?

C. Id videlicet, quod mea tuaeque natae eidem, — quam elegisti student religioni.

G. Gaudeo.

1) Codex: illas.

2) Non in codice: periclas, — neque emendatione C. Celtis periclis, ut Magnin docet; in ipso codice librarii manu prior vocis forma emendata.

3) Sic codex, non ut Magnin monet: eligerit.

4) Codex: spreverint.

C. Tantoque servandae virginitatis flagrant amore,  
— ut nec minis nec blandimentis revocari possunt<sup>1)</sup>  
ab intentione.

G. Perseverent, exopto.

C. Introcamus in palatium, ubi ipsae commorantur.

G. Praecede, sequar.

C. Ecce, occurvant eum augusta Helena, mei  
genitrix gloria, — omnibusque lacrimas fluant  
prae gaudie.

### S C E N A X I I I .

*Gallicanus.* Vivite feliciter, o sanctae virgines,  
perseverantes in dei timore, decusque virginitatis in-  
violatum servate, quo dignae inveniamini amplexibus  
regis aeterni.

*Constantia.* Eo liberius servabimus, quo te non  
contra luctari sentimus.

G. Non contra luctor, non renitor, non prohibeo;  
sed vestris in hoc votis libens concedo in tantum, ut  
nec te, o mea Constantia, quam haud segniter emi  
vitae pretio, — aliud quam coepisti velle cogo.<sup>2)</sup>

*Constantia.* Haec mutatio dextrae excelsi.

G. Si in melius mutatus non essem,— tuae pro-  
missioni assensum non praebere.

1) Sic codex, Magni: possint. In comoediis Hrotsvithae non  
raro hanc coniunctionem excipit modus indicativus.

2) Magn. cogam. Celtes: coger. Codex primum exhibuit for-  
mam: cogo, nunc littera o in a illic mutata est.

*Constantia.* Amicus pudicitiae virginalis, — et sautor totius bonae voluntatis, — qui te ab iniusta intentione<sup>1)</sup> et cogitatione revocavit, meamque virginitatem sibi signavit, — dignetur nos pro corporali discidio — quandoque associatum ire in aeterno gaudio.

*G.* Fiat, fiat!

*Constantinus.* Cum vinculum Christi amoris in unius nos societate coniungat religionem, — decet ut, quasi gener Augustorum, — honorifice nobiscum habites intra palatium.

*G.* Nulla magis est vitanda tentatio, — quam oculorum concupiscentia.

*Ctinus.* Refragari nequeo.

*G.* Unde non expedit me frequentius virginem intueri, — quam prae parentibus, prae vita, prae anima a me scis amari.

*Ctinus.* Ut libet.

*G.* Ecce habes quadruplicatum exercitum Christo favente et me laborante; patere ut nunc militem imperatori, — cuius iuvamine vici, — et cui debeo, quidquid feliciter vixi.

*Ctinus.* Ipsum decet laus et iubilatio, ipsi debet famulari omnis creatura.

*G.* Sed illi potissimum, — quis in necessitate largius praestat auxilium.

---

1) Non, ut Magnin docet, *intentione*: manu C. Celtis in codice loco: *cogitatione*: inscriptum. Sed ab ipso librario codicis altera vox alteri ita addita, ut neutri loco sit cedendum.

*C.tinus.* Ut asseris.

*G.* Partem possessionis, quae ad filias pertinet, excipio, — partemque ad susceptionem peregrinorum mihi reservo. De reliquo<sup>1)</sup> proprios servos libertate donatos ditari pauperumque necessitates volo sustentari.

*C.tinus.* Prudenter possessá disponis, nec expries aeternae retributionis.

*G.* Me ipsum etiam sancto viro Hilariano in urbe Ostiensi<sup>2)</sup> individuum sodalem ardeo associatum iri, quo ibidem reliquum vitae<sup>3)</sup> in dei laude pauperumque vacem susceptione.

*C.tinus.* Simplex esse, cui semper est posse, sinat tui esse prosperis successionibus iuxta sui velle vigere, et perducat te ad gaudia aeternitatis, — qui regnat et gloriatur in unitate trinitatis.

*G.* Amen.

1) In ipso codice, quod Magnin non observavit, iam exhibetur correctio primae scriptio[n]is: *de relinquo*.

2) Cod. ostensi. Celtes: ostendi. Magnin ex Actis sanctorum Bollandi. T. V. p. 38 optime restituit: Ostiensi.

3) Codex primum: *vivitae*: error ab ipso librario correctus.

## Gallicani pars secunda.<sup>1)</sup>

### FABULAE PERSONAE.

**Julianus** imperator. — **Consules.** — **Milites.**

#### S C E N A I.

**Julianus.** Incommodum<sup>2)</sup> satis nostro probatur esse imperio, — quod christiani libero utuntur arbitrio, — et iactant se leges debere sequi, — quas accipiebant temporibus Constantini.

**Consules.** Turpe si pateris.

**Jul.** Non patiar.

**Cons.** Decet.

**Jul.** O milites, accingimini et nudate christicolas possessionibus propriis, obiciendo sententiam Christi dicentis: Qui non renunciaverit omnibus quae possidet. N. P. T. M. U. E. S. D. P. I. M.<sup>3)</sup>

**Milites.** In nobis non erit mora.

1) Haec inscriptio deest codici. Celtes et Schurzfleisch: Actus secundus. Magnin: pars secunda.

2) Sic codex et Magnin. Celtes: In incommodum.

3) Haec sunt sigla codicis, non quae in omnibus editionibus leguntur: N. P. T. M. U. E. S. P. T.: — optime congruant cum verbis salvatoris: Non PoTest MeUs EsSe DisciPulus IdeM. Lucae Evang. XIV. 33.

## SCENA II.

*Consules.* En milites revertuntur.

*Julianus.* Secundusne est vester reditus?

*Milites.* Secundus.

*Julian.* Et cur tam citus?

*Milites.* Dicemus: Castella, quae Gallicanus sibi retinuit, decrevimus intrasse, tuaeque servituti usurpasser; sed si quis ex nostris pedem admovit, leprosus seu inerguminus<sup>1)</sup> est factus.

*Julianus.* Revertimini, ipsumque compellite vel patriam deserere vel idolis sacrificare.

1) Sic codex: Idem: Paracliti, Agapis pro Agapes. Ad quas formas, quas non e libris scriptis, sed ex ore aequalium Graecorum exceperisse Hrotsvitham facile quis crediderit, si idem cogitatione adiecerit permulta illa Graeca vocabula, quibus ut in reliquis carminibus, in comoediis utatur (stemma, pelagus, pauso, cauma, gaza, plasmasti, protoplastus, usia, dynamis, energia cet.), haud scio an ei summus ille virorum doctorum consensus, qui uno ore nostro tempore Hrostvitiae omnem Graecae linguae scientiam abjudicant, confidentior videatur, quam cautior. Longe aliter vir doctissimus Harenberg: Historia diplomatica ecclesiae Gandersheimensis (1734), p. 1075: „Graece eam novisse Gesnerus tradiderat. Ouidius negantem abit ad sententiam. Sunt tamen vestigia quae id nos affirmare suadent. Constantissima enim fama dictitat haec olim evangelia Graeca (illic) in festis Pentacostis diebus fuisse decantata, et Theophaniae imperatoris studio quamque canonicanam graecis se litteris dedisse.“ — Pro eadem sententia faciunt quae nuper disputavit Giesebricht, vir doctissimus in libro qui inscribitur: Geschichte der Ottonen. Braunschweig 1855. p. 304.

## SCENA III.

*Gallicanus.* Ne fatigemini, o milites, inutilia suadendo, quia in aestimatione aeternae vitae flocci facio, quidquid habetur sub sole. Unde patriam deserо — et exul pro Christo Alexandriam peto, — optans ibidem coronari martyrio.

## SCENA IV.

*Milites.* Gallicanus, ut iussisti, patria expulsus Alexandriam petit, ibique a Rautiano comite tentus, gladio est peremptus.

*Julianus.* O bene factum.

*Milites.* Sed Joannes et Paulus te fastidiunt.

*Julianus.* Quid agunt?

*Milites.* Libere vagant, thesauros Constantiae erogant.

*Julianus.* Advocentur.

*Milites.* Assunt.

## SCENA V.

*Julianus.* Non nescio vos, Joannes et Paule, a cunabulis Augustorum mancipatos fuisse obsequio.

*Joannes.* Fuimus.

*Julianus.* Unde decet, ut meo inhaerentes lateri serviatis in palatio, in quo nutriti estis a puer.

*Paulus.* Haud serviemus.

*Julianus.* Mihin' non servietis?

*Joannes.* Diximus.

*Julianus.* Num non videor Augustus?

*Paulus.* Sed dissimilis prioribus.

*Julianus.* In quo?

*Joannes.* Religione et merito.

*Jul.* Vellem plenius audire.

*Paul.* Volumus dicere: Gloriosissimi et famosissimi imperatores Constantinus, Constans et Constantius, quorum famulabamur<sup>1)</sup> imperio, fuere viri christianissimi et gloriabantur se servos esse Christi.

*Jul.* Memini, — sed non opto eos in hoc sequi.

*Paul.* Deteriora imitaris. Qui ecclesias frequenterbant, et excusso diademate prostrati Jesum Christum adorabant.

*Jul.* Ad haec me non cogitis.

*Joann.* Ideo illis es dissimilis.

*Paul.* Nam quia adulabantur<sup>2)</sup> creatori, augustalis apicem dignitatis ornabant et beatificabant insignibus suae probitatis et sanctitatis, prosperisque ad vota successionibus pollebant.

*Jul.* Certe ego.

*Joannes.* Non simili modo, quia eos divina comitabatur gratia.

*Julian.* Frivola. Ego quondam stultus talia exercui, — et clericatum in ecclesia obtinui.

*Joann.* Placetne tibi, o Paule, clericus?

1) Sic codex, non ut Magnin: famulabamus.

2) Sic codex, aut adolabantur. Celtes et Maguin: adolebantur.

*Paul.* Diaboli capellanus.

*Julian.* At ubi nihil utilitatis inesse deprehendi,  
— ad culturam deorum me inflexi, — quorum pietas  
me provexit ad fastigium regni.

*Joann.* Abrupisti nostri orationem, ne audires  
iustorum laudem.

*Julian.* Quid ad me?

*Paul.* Nihil; sed subiungendum est, quod ad te.  
Postquam enim mundus eis non dignus erat habendis,  
suscepti sunt inter angelos, tibique infelix respublica  
relinquebatur regenda.

*Julian.* Cur infelix iuxta id temporis?

*Joann.* Ex qualitate rectoris.

*Paul.* Reliquisti omnem religionem, — et imitatus  
es idolatriae<sup>1)</sup> superstitionem. Pro hac iniquitate et a  
tuis conspectibus et a tuorum societate nos subtraximus.

*Julian.* Licet satis multis<sup>2)</sup> a vobis de honestatus  
sim, adhuc tamen parcens audaciae — cupio vos  
inter primos in palatio extollere.

*Joann.* Ne fatiga te, — quia nec minis, nec  
blandimentis cogimur cedere.

*Julian.* Decem dierum dabo inducias, quo tandem  
resipiscentes ultro maturetis reconciliari gratiae nostrae  
dignitatis. Sin autem, quod faciendum est, faciam, —  
ne ultra<sup>3)</sup> vobis ludibrio fiam.

1) Codex: idolatriae.

2) Celtes: multum.

3) Sic codex; Celtes et Schurzfl.: ultro.

*Paul.* Quod facturus eris hodie perfice, quia nec ad tui salutationem, nec ad palatium, nec ad culturam deorum nos poteris revocare.

*Julian.* Abite, discedite, quae monui perpetrate.

*Johann.* Acceptas non facci faciamus inducias, sed facultates coelo permittamus, — nosque ieuniis et obsecrationibus deo interim commendamus.

*Paul.* Consequens est.

#### SCENA VI.

*Julianus.* Vade, Terentiane, sumtis tecum militibus compelle Joannem et Paulum deo Jovi sacrificare. Si autem obstinato restiterint<sup>1)</sup> pectore, permantentur non palam, sed nimium occulte, quia palatini fuere.

#### SCENA VII.

*Terentianus.* Imperator Julianus cui servio misit vobis, Joannes et Paule, pro sui clementia aureum simulacrum Jovis, cui thura gratis imponere debetis. Quod si nolueritis, capitalem sententiam<sup>2)</sup> subibitis.

*Joannes.* Si Julianus sit tuus dominus, habebit pacem cum illo, et utere eius gratia. Nobis non est dominus, nisi dominus Jesus Christus, pro cuius amore — desideramus mori, — quo mereamur aeternis gaudiis perfrui.

*Terentianus.* Quid tardatis milites? stringite fer-

1) Sic codex, Magn. resisterint.

2) Codex: sentiam. Emendatio ipsius librarii manu addita.

rum et interficite imperatoris deorumque rebelles,  
interfectos clam in domo sepelite, nullumque sanguinis vestigium relinquite.

*Melites.* Et quid dicemus rogati?

*Terentianus.* Simulate, quasi exilio sint destinati.

*Joannes. Paulus.* Te, Christe, cum patre et sancto spiritu regnante, ~~urum~~ deum, sub hoc periculo invocamus, — te moriendo laudamus; — tu suscipe animas, — pro te de lutea habitatione eliminatas.

### SCENA VIII.

*Terentianus.* Eh heu, christicolae, quid patitur unicus filius meus?

*Christicolae.* Stridet dentibus, sputa iacit, torquet insana lumina; nam plenus est daemonio.<sup>1)</sup>

*Terentianus.* Vae patri! ubi agitur?

*Christicolae.* Ante sepulchra<sup>2)</sup> martyrum Joannis et Pauli humai provolvitur, seque ipsorum precibus tenqueri fatetur.

*Terentianus.* Mea culpa, meum facinus. Nam meo hortatu, meo iussu ipse infelix impias manus in sanctos martyres misit.

*Christicolae.* Si te hortante deliquit, te compatiente poenas luit.

*Terentianus.* Ego quidem parui iussis impissimi imperatoris Juliani.

1) Sic sedex, Celtes: daemonis.

2) Celtes: sepulchrum.

*Christicolae.* Ideo namque ipse divina perculsus est ultione.

*Terentianus.* Scio, eoque magis expaveo, quo nullum hostem dei servorum impunitum evasisse meminero.

*Christicolae.* Recte.

*Terentianus.* Quid si curram et poenitens sceletis — sacris provolvar tumulis?

*Christicolae.* Veniam mereberis, — si tamen baptis- mate mundaberis.

#### SCENA IX.

*Terentianus.* Gloriosi testes Christi, Joannes et Paule, imitamini exemplum magistri eadem iubentis, et orate pro persecutorum delictis. Este compatientes orbati patris angustiis, — et misereamini furientis nati miseriis, — quo ambo tinti fonte baptismatis perseveremus in fide sanctae trinitatis.

*Christicolae.* Parce, Terentiane, lacrimis, et parce auxietati cordis. En filius tuus resipiscit — et per martyrum suffragia sanum recepit.

*Terentianus.* Gratias regi aeternitatis, — qui suis militibus tantum praestitit honoris, — ut non solum animae gaudeant<sup>1)</sup> in coelo, sed etiam mortua in tumulis ossa variis fulgeant miraculorum titulis, in testimonium sui sanctitatis — praestante domino nostro, Jesu Christo, qui vivit.

---

1) In ipso codice primum scriptum fuit: gaudent, fulgent. Emendatione per antiqua littera a utriusque voci adscripta.

## II.

# Dulcitus.

### Argumentum in Dulcitium.

Passio sanctorum virginem Agapis,<sup>1)</sup> Chioniae et Irenae, quas sub nocturno silentio Dulcitus praeses clam adiit, cupiens earum amplexibus saturari. Sed mox ut intravit mente captus ollas et sartagines pro virginibus amplectendo osculabatur, donec facies et vestes horribili nigredine inficiebantur. Deinde Siccinnio comiti iussu imperatoris<sup>2)</sup> puniendas virgines cessit, qui etiam miris modis illusus tandem Agapen et Chioniam concremari et Irenam iussit perfodi.

### FABULAE PERSONAE.

**Dioctelianus.** — **Agape.** — **Chonia.** — **Irena.** —  
**Dulcitus.** — **Milites.**

### SCENA I.

*Dioctelianus.* Parentelae claritas ingenuitatis<sup>3)</sup> — vestrumque serenitas pulchritudinis exigit vos nuptiali

1) Propter genitivum Agapis (de quo supra p. 30. annot.) Hrotsvitha nominativum *Agapes* fixisse videtur.

2) Codex et Celtes: iussu per puniendas. Optime Magna suspicatur vocabulum „imperatoris expressum fuisse compendio a Hrotsvitha, e compendio illo a librario per esse effectum“

3) Sic codex, editores: ingenuitas.

lege primis in palatio copulari, — quod nostri iussio annuerit fieri, si Christum negare nostrisque diis sacrificia velitis ferre.

*Agape.* Esto securus curarum, — nec te gravet nostrarum praeparatiq; nuptiarum, — quia nec ad negationem confitendi nominis, nec ad corruptionem integratatis ullis rebus compelli poterimus.

*Diocl.* Quid sibi vult ista, quae vos agitat fatitas?

*Agape.* Quod signum fatitatis nobis inesse deprehendis?

*Diocl.* Evidens, magnumque.

*Agape.* In quo?

*Diocl.* In hoc praecepsne, quod reicta vetustae observantiae religionis — inutilem christianaee novitatem sequimini superstitionis.

*Agape.* Temere calumniaris statum dei omnipotentis. Periculum.

*Diocl.* Cuius?

*Agape.* Tui reique publicae, quam gubernas.

*Diocl.* Ista insanit. Amoveatur.

*Chionia.* Mea germana non insanit, — sed tui stultitiam iuste reprehendit.

*Diocl.* Ista inclemens bacchatur, — unde nostris conspectibus aequo subtrahatur et tertia discutiatur.

*Irena.* Tertiam rebellem, tibique penitus probabis renitentem.

*Diocl.* Irena cum sis minor aetate, — fito<sup>1)</sup> major dignitate.

*Irena.* Ostende, queso, quo pacto?

*Diocl.* Flecte cervicem diis, et esto sororibus exemplum correctionis, — et causa liberationis.

*Irena.* Conquiniscant idolis, — qui velint incurrire iram celsitonantis; — ego quidem caput regali delibutum non dehonestabo, pedibus simulacrorum submittendo.

*Diocl.* Cultura deorum non adducit dehonestatem<sup>2)</sup> sed praecipuum honorem.

*Irena.* Et quae in honestas turpior, quae turpitudo maior, — quam servos venerari ut dominos?<sup>3)</sup>

*Diocl.* Non suadeo tibi venerari servos, — sed dominorum, principumque deos.

*Irena.* Nonne is est cuiusvis servus, — qui ab artifice pretio comparatur, ut emptitius?

*Diocl.* Huius praesumptio verborum — tollenda est suppliciis.

*Irena.* Hoc optamus, — hoc amplectimur, — ut pro Christi amore suppliciis laceremur.

1) Sic codex, non, ut Magnin docet, sito, nulla igitur emendatione Celtis ad restituendam vocem: *flo*: heo loco opus fuit.

2) Non, ut Magnin, ceaset, in codice *inhonestatem*, correctione Celtis *dehonestatem*, sed in ipso codice antiquis litterarum ductibus haec vox illi superscripta.

3) Neque hoc loco, ut idem docet: codicis scriptio: *quam ut servos veneraris ut dominos* ab editore illo principe commutata cum ea, quam supra receperimus, sed ab ipso codicis librario.

*Diocl.* Istae contumaces nostrisque decretis contraluctantes catenis inretiantur,<sup>1)</sup> — et ad examen Dulcitii praesidis<sup>2)</sup> sub carcerali squalore serventur.

### S C E N A II.

*Dulcitus.* Producite, milites, producite, quas tenetis in carcere.

*Milites.* Ecce quas vocasti.

*Dulcitus.* Papae, quam pulchrae, — quam venustae — quam egregiae puellulae!

*Milites.* Perfectae,<sup>3)</sup> decorae.

*Dulcitus.* Captus sum illarum specie.

*Milites.* Credibile.

*Dulcitus.* Exaestuo illas ad mei amorem trahere.

*Milites.* Diffidimus te preevalere.

*Dulcitus.* Quare?

*Milites.* Quia stabiles fide.

*Dulcitus.* Quid si suadeam blandimentis?

*Milites.* Contemnunt.

*Dulcitus.* Quid si terream suppliciis?

*M.* Parvi pendunt.

*D.* Et quid fiet?

*M.* Praecogita.

*D.* Ponite illas in custodiam in interiore officinae aedem, in cuius proaulio ministrorum servantur vasa.

1) Sic codex. Celtes: inretientur.

2) Celtes: praesulis.

3) Celtes: profecto. Magnin: perfecte.

**M.** Ut quid eo loci?

**D.** Quo a me saepiuscule possint visitari.<sup>1)</sup>

**M.** Ut iubes.

### S C E N A I I I.

**Dulcitius.** Quid agunt<sup>2)</sup> captivae sub hoc noctis tempore?

**Milites.** Vacant hymnis.

**D.** Accedamus proprius.

**M.** Tinnulae sonitum vocis a longe audiemus.

**D.** Observate pro foribus cum lucernis; ego autem intrabo, et vel optatis amplexibus me saturabo.

**M.** Intra,<sup>3)</sup> praestolabimur.

### S C E N A I V.

**Agape.** Quid strepat<sup>4)</sup> pro foribus?

**Irena.** Infelix Dulcitius ingreditur.

**Chionia.** Deus nos tueatur.

**Agape.** Amen.

**Chionia.** Quid sibi vult collisio ollarum, cacaborum et sartaginum?

**Irena.** Lustrabo. — Accedite quaeso, per rimulas aspice.

1) Celtes: videri.

2) Magnin, ut opinatur, codicem secutus: quid agant, in ipso tamen codice iam prima illa scriptio antiquis litterarum ductibus in hanc nostram conversa.

3) Lectio prima codicis: intro, emendatio perantiqua.

4) Celtes: strepit prae.

*Agape.* Quid est?

*Irena.* Ecce, ista stulta mente alienatus aestimat se nostris uti amplexibus.

*Agape.* Quid facit?

*Irena.* Nunc ollas molli fovet gremio, nunc sartagines et caecabos amplexatur mitis libana oscula.

*Chonia.* Ridiculum.

*Irena.* Nam facies, manus ac vestimenta adeo sordidata,<sup>1)</sup> adeo coquinata, ut nigredine qua inhaesit similitudinem Aethiopis exprimat.

*Agape.* Decet ut talis appareat corpore, qualis a diabolo possidetur in mente.

*Irene.* En, parat egredi.<sup>2)</sup> Intendamus, quid illo egidente agant milites pro foribus expectantes.

#### S C E N A V.

*Milites.* Quis hic egreditur daemoniacus, vel magis ipse diabolus? Fugiamus.

*Dulcitus.* Milites, quo fugitis? State, expectate, ducite me cum lucernis ad cubile.

*M.* Vox senioris nostri, sed imago diaboli. Non subsistamus, sed fugam maturemus; phantasma vult nos pessum dare.

*Dulcit.* Ad palatium ibo, — et quam abiectionem patior principibus vulgabo.

1) Celtes: sordida.

2) Codex: ingredi. Correctio Conr. Celtis.

## S C E N A VI.

*Dulcitus.* Ostiarii, introducite me in palatium, — quia ad imperatorem habeo secretum.

*Ostiarii.* Quid hec vile ac detestabile monstrum, — scissis ac nigellis panniculis obsitum? Fugatis tandem, de gradu praecepitemus, nec ultra huc detinaber accessas.

*Dulcit.* Vae, vae! Quid contigit? Nonne splendidissimis vestibus indutus, — totoque corpore videor nitidus, — et quicunque me aspicit, — velut horribile monstrum fastidit? Ad coniugem revertar, — que ab illa quid erga me<sup>1)</sup> actum sit experiar. En sepius crinibus egreditur, — omnisque domus lacrimis prosequitur.

## S C E N A VII.

*Coniux.* Heu! heu! mi senior Dulciti, quid pataris? — Non es sanus mentis? Factus es in derisum christicolis?

*Dulcit.* Nunc tandem sentio me illusum illarum maleficiorum.

*Coniux.* Hoc me vehementer confudit, — hoc praeterea contrastavit, — quod quid patieharis ignorasti.

*Dulcit.* Mando ut lascivae praesealentur pueras et abstractis vestibus publice denudentur, — quo versice quid nostra possint ludibria experiantur.

1) Verba: *erga me*: in codice omissa, deinde antiquis litteris duabus superscripta.

## SCENA VIII.

*Milites.* Frustra sudamus, — in vanum laboramus. — Ecce vestimenta virgineis corporibus inhaerent velut coria. — Sed et ipse qui nos ad exsponliandum urgebat praeses stertit sedendo, — nec ulla-tenus excitari potest a somno. — Ad imperatorem adeamus, — ipsique rerum quae geruntur propalemus.

## SCENA IX.

*Diocletianus.* Dolet<sup>1)</sup> nimium, quod praesidem Dulcitudine audio — adeo illusum, — adeo exprobratum, — adeo calumniatum. — Sed ne viles mulierculae iactant<sup>2)</sup> se impune nostris diis deorumque cultoribus illudere, Sisinnium comitem dirigam — ad ultionem exercendam.

## SCENA X.

*Sisinnius.* O milites, ubi sunt lasciviae quae torqueri debent puellulae?

*Milites.* Affliguntur in carcere.

*Sisinnius.* Irenam reservate et reliquas producite.

*M.* Cur unam excipis?

*S.* Parcens infantiae. — Forte facilius converteatur, si sororum praesentia — non terribitur.

*M.* Ita.

1) Haec lectio codicis esse videtur, recepta a Magnino,  
Celites doleo.

2) Sic codex, nec desunt in comoediis similia. Magnin: iacent.

## S C E N A X I.

*Milites.* Praesto sunt, quas iussisti.

*Sisinnius.* Praebete assensum, Agape et Chionia meis consiliis.

*Agape.* Si praebebimus?

*Sisinn.* Ferte libamina diis.

*Chionia.* Vero et aeterno patri, eiusque coaetervo filio, sanctoque amborum paraclito, sacrificium laudis sine intermissione libamus.

*Sisinn.*<sup>1)</sup> Hoc vobis non suadeo, — si<sup>2)</sup> poenis prohibeo.

*Agape.* Non prohibebis, — nec unquam sacrificabimus daemoniis.

*Sisinn.* Deponite duritiam cordis et sacrificeate. Sin autem faciam vos interfectum iri, — iuxta praecptum Diocletiani.

*Chionia.* Decet ut in nostri necem obtemperes iussis — tui imperatoris, cuius nos decreta contemnere noscis. Si autem parcendo moram<sup>3)</sup> feceris, aequum est ut tu interficiaris.

*Sisinn.* Non tardetis milites, non tardetis capere<sup>4)</sup> blasphemias has, — et in ignem proiicite vivas.

1) Errore librarii in codice: *D.* == Diocletianus.

2) Sic codex, Magnin et Celtes: *sed*.

3) Celtes: *morem*.

4) Non emendatio est Celtis, ut Magnin docet, neque codicis legio: *caput*; sed ab ipso codicis librario *caput* (vel *capite*?) in *capere* mutatum.

*Mil.* Instemus struendis rogis, et trademus illas  
bacchantibus flammis, — quo finem damus conviciis.

*Agape.* Non tibi, domine, non tibi haec potentia  
insolita, ut ignis vim virtutis suae obliscatur, tibi  
obtemperando. Sed taedet nos morarum. Ideo roga-  
mus solvi retinacula animarum, quo extinctis corpo-  
ribus tecum plaudent in aethere nostro spiritus.

*Milites.* O novum, o stupendum miraculum! Ecce  
animae egressae sunt corpora,<sup>1)</sup> et nulla laesioris  
repiuntur vestigia; sed nec capilli, — nec vestimenta  
— ab igne sunt ambusta, quo minus corpora.

*Sisinn.* Proferte Irenam.

*Mil.* Eccam?

### S C E N A XII.

*Sisinnius.* Pertimesce Irena, necem sororum, —  
et cave perire exemplo illarum.<sup>2)</sup>

*Irena.* Opto exemplum earum moriendo sequi, —  
quo merear cum his aeternaliter laetari.

*Sisinn.* Cede, cede amae suasioni.

*Irena.* Haud cedam facinus quadranti.

*Sisinn.* Si non cesseris non citum tibi praestabo  
exitum, — sed differam et nova in dies supplicia  
multiplicabo.

1) Sic codex.

2) Celtes: etham:

3) Celtes: earum.

*Irena.* Quanto acerius torqueor, — tanto glorio-sius exaltabor.

*Sisinn.* Supplicia non metatis; — admovebo quod horrescis.<sup>1)</sup>

*Irena.* Quidquid irrogabis adversi, — evadam iuvamine Christi.

*Sisinn.* Faciam te ad lupanar duci — corpusque tuum turpiter coinquinari.

*Irena.* Melius est ut corpus quibuscumque iniuriis maculetur, quam anima idolis polluatur.

*Sisinn.* Si socia eris meretricum, non poteris polluta ultra inter contubernium — computari virginum.

*Irena.* Voluptas parit poenam, — necessitas autem coronam, — nec dicitur reatus, — nisi quod consentit animus.

*Sisinn.* Frustra parcebam, — frustra miserebar, — huius infantiae.

*Milites.* Praescivimus; nullatenus ad deorum culturam potest flecti, — nec terrore unquam potest frangi.

*Sisinn.* Non ultra parcam.

*Mil.* Rectum.

*Sisinn.* Capite illam sine miseratione, — et trahentes cum crudelitate, — ducite ad lupanar sine honore.

*Irena.* Non perducent.

*Sisinn.* Quis prohibere poterit?<sup>2)</sup>

1) Celtes: horresces.

2) Celtes: potest.

*Irena.* Qui mundum sui providentia regit.

*Sisinn.* Probabo.

*Irena.* Ac citius libito.

*Sisinn.* Ne terreamini milites, — fallacibus huius blasphemae<sup>1)</sup> praesagiis.

*Milites.* Non terremur, — sed tuis praeceptis parere nitimur.

### SCENA XIII.

*Sisinnius.* Qui sunt hi, qui nos invadunt? Quam similes sunt militibus, — quibus Irenam tradidimus. Ipsi sunt. Cur tam cito revertimini? Quo tenditis tam anheli?

*Milites.* Te ipsum quaerimus.

*Sisinnius.* Ubi est, quam traxistis!

*Mil.* In supercilio montis.

*Sisinn.* Cuius?

*Mil.* Proximi.

*Sisinn.* O insensati et hebetes, totiusque rationis incapaces.

*Mil.* Cur causaris? — Cur voce et vultu nobis minaris?

*Sisinn.* Dii vos perdent.

*Mil.* Quid in te commisimus? — Quam tibi iniuriam fecimus? — Quae tua iussa transgressi sumus?

*Sisinn.* Nonne praecepi, ut rebellem deorum ad turpitudinis locum traheretis?

---

1) Codex: blasphemiae. Correxit Celtes.

*Mil.* Praecepisti, nosque tuis praeceptis operam dedimus implendis, sed supervenere duo ignoti iuvenes, asserentes se ad hoc ex te missos, ut Irenam ad cacumen montis perducerent.

*Sisinn.* Ignorabam.

*Mil.* Agnoscimus.

*Sisinn.* Quales fuerunt?

*Mil.* Amictu splendidi, vultu admodum reverendi.

*Sisinn.* Num sequebamini illos?

*Milit.* Sequebamur.

*Sisinn.* Quid fecerunt?

*Mil.*<sup>1)</sup> A dextra laevaque Irenae se locaverunt, et nos huc direxerunt, — quo te exitus rei non lateret.

*Sisinn.* Restat, ut ascenso equo pergam, et qui fuerint, qui nos tam libere illuserunt, perquiram.

#### S C É N A X I V .

*Sisinn.* Hem, ignoro, quid agam. Pessum datus sum maleficiis christicolarum. En,<sup>2)</sup> montem circumeo, et semitam aliquoties repperiens, nec ascensum comprehendere, — nec redditum quo repetere.

*Milit.* Miris modis omnes illudimur, — nimiaque

1) Omissum in codice, appositum in margine, pallidiore atramento, antiquis litterarum ductibus, nec solum, ut in codice littera *M.*, sed *Mil.*

2) Magnin docet, in codice scriptum esse *in*, non *en*. Quia in re an descripti illius exemplaris litteris falsus sit vir doctissimus equidem magnopere dubito.

lassitudine fatigamur, — et si insanum caput diutius vivere sustines, — te ipsum et nos perdes.<sup>1)</sup>

*Sisinn.* Quisquis es meorum, — strenue extende arcum, — iace sagittam, — perfode hanc maleficam.

*Mil.* Decet.

*Irena.* Infelix erubescere, — Sisinni erubescere,<sup>2)</sup> — teque turpiter victimum ingemisce, — quia tenellae infantiam virgunculae — sine armorum apparatu nequisti superare.

*Sisinn.* Quidquid dedecoris accedit,<sup>3)</sup> — lenius tolero, — quia te morituram haud dubito. •

*Irena.* Hinc mihi quam maxime gaudendum, tibi vero dolendum, — quia pro tui severitate malignitatis in Tartara damnaberis; — ego autem martyrii palmam, — virginitatisque receptura coronam, — intrabo aethereum aeterni regis thalamum, — cui est honor et gloria in saecula.

1) Sic in ipso codice prior scriptio *perdis*: librarii manus emendata, non, ut Magnini docet, conjectura C. Celtis. •

2) Verba: Sisinni erubescere — in editione principe Celtis omissa.

3) Celtes: accedit.

## III.

# Callimachus.

### Argumentum in Callimachum.

Resuscitatio Drusiana et Callimachi, qui eam non solum vivam, sed etiam prae tristitia atque excaecatione<sup>1)</sup> inliciti amoris in Domino mortuam plus iusto amavit, unde morsu serpentis male periit; sed precibus sancti Joannis apostoli una cum Draiana resuscitatus, in Christo est renatus.

### FABULAE PERSONAE.

**Callimachus.** — **Amici.** — **Drusiana.** — **Andronicus.** —  
• **Sanctus Joannes.** — **Fortunatus.**

### S C E N A I.

*Callimachus.*<sup>2)</sup> Paucis vos, amici, volo.

*Amici.* Uttere quantumlibet nostro colloquio.

*Callim.* Si aegre non accipitis, malo vos interim sequestrari aliorum collegio.<sup>3)</sup>

*Am.* Quod tibi videtur commodum — nobis est sequendum.

*Callim.* Accedamus in secretiora loca, — ne aliquis superveniens interrumpat dicenda.

*Am.* Ut libet.

1) Optima Conr. Celtis emendatione, in margine codicis apposita pro: execratione.

2) Callimachi nomen in codice deest.

3) Sic codex, Celtes: colloquio.

## SCENA II.

*Callim.* Anxie diuque gravem sustinui dolorem,  
quem vestro consilio relevari posse spero.

*Am.* Aequum est ut communicata invicem compassionē patiamur, quidquid unicuique nostrum utriusque eventu fortunae ingeratur.

*Callim.* O utinam voluissetis — meam passionem compatiendo mecum partiri.

*Am.* Enuclea quid patiaris, — et si res exigit compatiemur, — sin autem, animum tuum a nequam intentione revocare nitimus.<sup>1)</sup>

*Callim.* Amo.

*A.* Quid?

*C.* Rem pulchram, rem venustam.

*A.* Nec in solo, nec in omni. Ideo atomum quod amas per hoc nego<sup>2)</sup> intellegi.

*C.* Mulierem.

*A.* Cum mulierem dixeris, — omnes comprehendis.

*C.* Non omnes aequaliter, — sed unam specialiter.

*A.* Quod de subiecto dicitur, — non nisi de subiecto aliquo cognoscitur. Unde si velis nos enarithmum agnoscere, dic primam<sup>3)</sup> usiam.

1) Sic codex, Magnin correxit: nitemur.

2) Non interruptam, ut Magnin docet, librarius vocem illam reliquit (neq.... intellegi); sed plica quadam membranae impedimur, quominus ductus litterarum satis sequi possimus. Celtes: nequimus. Magnin: nequit. Dubito an scriptum fuerit: nego.

3) Sic codex, editores *primum*. De qua quidem emendatione

C. Drusianam.

A. Andronici huius principis coniugem?

C. Ipsam.

A. Erras, socie, — est lota baptismate.

C. Inde non euro, — si ipsam ad mei amorem attrahere potero.

A. Non poteris.

C. Cur diffiditis?

A. Quia rem difficilem petis.

C. Num ego primus huiusmodi rem peto, — et non multorum ad audendum provocatus sum exemplo?

A. Intende frater: ea ipsa, quam ardes, sancti Joannis apostoli doctrinam secuta, totam se devovit deo, in tantum ut nec ad torum Andronici christianissimi viri iam dudum potuit revocari, — quo minus tuae consentiet vanitati.

C. Quaesivi a vobis consolationem, — sed incutitis mihi desperationem.

A. Qui simulat fallit, et qui profert adulacionem vendit veritatem.

C. Quia mihi vestrum auxilium subtrahitis, — ipsam adibo, eiusque animo — mei amorem blandimentis persuadebo.

A. Haud persuadebis.

---

ut dicam quod sentio, vereor ne poetria nostra comoediis suis melius probaverit, doctrinae Peripateticæ gnaviter se operam dedisse, quam editores illi atque emendatores, viri doctissimi, talibus correctionibus.

C. Quippe veter fatis.

A. Experiemur.

### SCENA III.

*Callimachus.* Sermo meus ad te, Drusiana, praecordialis amor.

*Drusiana.* Quid mecum velis, Callimache, sermonibus agere vehementer admiror.

*Call.* Miraris?

*Drus.* Satis.

*C.* Primum de amore.

*D.* Quid de amore?

*C.* Id scilicet, quod te prae omnibus diligo.

*D.* Quod ius<sup>1)</sup> consanguinitatis, quaeve legalis conditio institutionis compellit te ad mei amorem?

*C.* Tui pulchritudo.

*D.* Mea pulchritudo?

*C.* Immo.

*D.* Quid ad te?

*C.* Proh dolor! hactenus parum, sed spero quod attineat postmodum.

*D.* Discede, discede, — leno nefande, — confundoretiam diutius tecum verba miscere,<sup>2)</sup> — quem sentio plenum diabolica deceptione.

*C.* Mea Drusiana, ne repellas te amantem tuo-

1) Sie codex; editiones: quae vis...

2) Codicis prior scriptio: commiscere: calamo librarii, non, ut Magnin docet, a Celte correcta.

que amori<sup>1)</sup> cordetenus inhaerentem, sed impende  
amori vicem.

*D.* Lenocinia tua parvi pendo, — tuique lasci-  
viam fastidio — sed te ipsum penitus sperno.

*C.* Adhuc non repperi occasionem irascendi, —  
quia quid mea in te agat dilectio forte erubescis fateri.

*D.* Nihil aliud nisi indignationem.

*C.* Credo te hanc sententiam mutatum ire.

*D.* Non mutabo pro certo.

*C.* Forte.

*D.* O insensate et amens! Cur falleris? Cur te  
vacua spe illudis? Quo pacto, — qua dementia reris  
me tuae cedere nugacitati, — quae per multum tem-  
poris a legalis toro viri me abstinui?

*C.* Pro deum atque hominum fidem! — si non  
cessaveris,<sup>2)</sup> — non quiescam, — non desistam, —  
donec te captiosis<sup>3)</sup> circumveniam insidiis.

#### S C E ' N A IV.

*Drusiana.* Eh heu! Domine Jesu Christe, quid  
prodest castitatis professionem subiisse, cum is amens  
mea deceptus est specie? Intende domine, mei timo-  
rem, intende quem patior dolorem. — Quid mihi, quid  
agendum sit, ignoro. Si prodidero, civilis per me  
fiet discordia; — si celavero, insidiis diabolicis sine

---

1) Codex: amore.

2) Celtes: consenseris.

3) Codex: captuosis.

te refragari nequeo. Iube me in te, Christe, o cius mori, — ne fiam in ruinam delicato iuveni.

*Andronicus.* Vae mihi infortunato! Ex improviso mortua est Drusiana. Curro, sanctumque Joannem advoco.

### SCENA V.

*Joannes.* Cur nimium contristaris, Andronice? Cur fluunt lacrimae?

*Andronicus.* Eh! heu domine, taedio vitae propriae.

*Joan.* Quid pateris?

*Andr.* Drusiana, tui assecula...

*Joan.* Estne homine<sup>1)</sup> exuta?

*A.* Hem, est.

*J.* Multum disconvenit, ut pro his fundantur lacrimae, — quorum animas credimus laetari in requie.

*A.* Non dubitem licet quin, ut asseris, anima aeternaliter laetetur, — corpusque quandoque incorruptum resuscitetur, — hoc tamen me vehementer exurit, quod ipsa me praesente mortem, ut adveniret optando invitavit.

*J.* Agnovistine<sup>2)</sup> causam?

*A.* Agnovi, tibique enucleam, si quando ex tristitia hac convalescam.

*J.* Accedamus, exequiasque diligenter celebremus.

1) Sic codex, Celtes: hominem.

2) Sic codex, Celtes: agnostin'.

**A.** Marmoreum in proximo sepulchrum habetur,  
in quod funus ponatur, — servandique cura sepulchri  
— Fortunato nostro relinquatur procuratori.

**J.** Decet ut tumuletur honorifice. Deus laeti-  
ficit animam in requie. •

### S C E N A VI.

**Callimachus.** Quid fiet, Fortunate, quia nec morte  
Drusiana — revocari possum ab amore?

**Fortunatus.** Miserabile.

**C.** Pero, nisi me adiuvet tua industria.

**F.** In quo possum adiuvare?

**C.** In eo ut vel mortuam me facias videre.

**F.** Corpus adhuc integrum manet, ut reor, quia  
non languore exesum, — sed levi, ut experiebare,  
febre est solutum.

**C.** O me felicem, — si nunquam<sup>1)</sup> experirer.

**F.** Si placabis muneribus, — dedam illud tuis  
usibus.

**C.** Quae in praesenti ad manus habeo, — inter-  
rim accipe, — nec diffidas te multo maiora acceptu-  
rum fore.

**F.** Eamus cito.

**C.** In me non erit mora.

1) Sic codex, Magnin arbitratur fortasse legendum: si unquam.  
**Vereor**, ut recte.

## SCENA VII.

*Fortunatus.* Ecce corpus — nec facies cadaverosa, — nec membra sunt tabida; — abutere<sup>1)</sup> ut libet.

*Callimachus.* O Drusiana, Drusiana, quo affectu cordis te colui, qua sinceritate dilectionis te viscera tenus amplexatus fui. Et tu semper abiecisti, — meis votis contradixisti. Nunc in mea situm est potestate — quantislibet iniuriis te velim lacessere.

*F.* At! at! horribilis serpens invadit nos.

*C.* Hei mihi! Fortunate cur me decepisti? — Cur detestabile scelus persuasisti? — En tu morieris serpentis vulnere, et ego commorior p[re] timore.

## SCENA VIII.

*Joannes.* Accedamus, Andronice, ad tumulum Drusianae, — quo animam Christo commendemus prece.

*Andronicus.* Hoc decet tui sanctitatem, — ut non obliviscaris in te confidentem.

*Joan.* Ecce invisibilis deus nobis appareat visibilis — in pulcherrimi similitudine iuvenis.

*Andron.* Expavete<sup>2)</sup> )

*J.* Domine Jesu, cur iuxta id loci dignatus es servis tuis manifestari?

*Deus.* Propter Drusianae eiusque qui iuxta se-

1) Sic codex, Celtes: utere.

2) Sic codex, Celtes: expaves.

pulchrum illius iacet resuscitationem<sup>1)</sup> apparui, quia nomen meum in his debet gloriari.

*A.* Quam subito receptus est coelo.

*J.* Ideo causam penitus non intellego.

*A.* Maturemus gressum; forte re<sup>2)</sup> experieris in perventione, quod asseris te minus intellegere.

### SCENA IX.

*Joannes.* In nomine Christi, quid est hoc, quod video, miraculi? Ecce, aperto sepulchro corpus Drusianae foras est electum,<sup>3)</sup> iuxta quod iacent duo cadavera amplexu serpentis circumflexa.

*A.* Coniecto quid significet. Is ipse Callimachus Drusianam dum viveret inilicite amavit, — quod illa aegre ferens in febrem prae tristitia incidit et mortem, ut adveniret, invitavit.

*J.* Hoc amor castitatis coegerit.

*A.* Post cuius occasum hic amens infelcis languorem amoris et negati taedium conglomerans sceles, tabescebat animo, eoque magis desiderio aestuabat.

*J.* Miserabile.

*A.* Non ambigo quin hunc improbum servum mercede conduceret, — quo illi patrandi occasionem facinoris paeberet.

1) Prior codicis scriptio: resuscitatio, ab ipso librario emendata.

2) Sic codex, Celtes omisit verbum: re.

3) Celtes: abiectum.

*J.* O nefas incomparabile.

*A.* Ideo ambo, ut video, morte sunt consumpti, — ne effectum administrarent sceleri.

*J.* Nec iniuria.

*A.* In hoc tamen illud est ut maxime<sup>1)</sup> admirandum, cur huius qui pravum voluit resuscitatio magis quam eius, qui consensit, divina sit-voce praenuntiata, nisi quia forte hic carnali deceptus delectatione deliquit ignorantia, iste autem sola malitia.

*J.* Quanta supernus arbiter distributione cunctorum facta examinat, — quamque aequa lance singulorum merita pensat, — id non obvium, nec cuiquam explicabile fore potest, — quia divini subtilitas iudicii longe praeterit humani sagacitatem ingenii.

*A.* Ideo admirando deficimus<sup>2)</sup> — quia rerum quae geruntur causas docte internoscere nequimus.

*J.* Eventus post facta — docet persaepe rerum discrimina.

*A.* Verum age iam, beate Joannes, quod acturus es. Fac ut resuscitetur Callimachus, — quo solvatur huius ambiguitatis<sup>3)</sup> nodus.

*J.* Reor prius invocato Christi nomine anguem perturbandum,<sup>4)</sup> — post vero Callimachum suscitandem.<sup>5)</sup>

1) Celtes: vel maxime.

2) Celtes: deficimus.

3) Codex: ambiguitas.

4) Celtes: perturbandum.

5) Celtes: resuscitandum.

*A.* Recte roris, ne ultra laedatur morsu serpentis.

*J.* Discede<sup>1)</sup> ab hoc, crudelis bestia, quia serviturus est Christo.

*A.* Licet irrationale sit animal, haud surda tamen aure, quod iussisti obaudivit.<sup>2)</sup>

*J.* Non mea, sed Christi virtute paruit.

*A.* Ideo citius dicto evanuit.

*J.* Deus incircumscriptus et incomprehensibilis, — simplex et inestimabilis, — qui solus es id quod es, — qui diversa duo socians — ex hoc et hoc hominem fingis — eademque dissocians — unum quod constabat resolvis, — iube ut reducto halitu — disiunctaque compagine rursus conlininata, Callimachus resurgat, — plenus, ut fuit homo, — quo ab omnibus magnificeris, — qui solus miranda operaris.

*A.* Amen. — Ecce, vitales auras<sup>3)</sup> carpit, — sed prae stupore adhuc quiescit.

*J.* Callimache, surge in Christi nomine, — et uteunque se res habeat confitere; — quantislibet obnoxius sis vitiis proferas — ne nos vel<sup>4)</sup> in modico lateat veritas.

*Callimachus.* Negare nequeo, quin patrandi causa facinoris accesserim, quia infelici languore tabescebam, — nec illiciti aestum amoris compescere poteram.

1) Codex: discedite, emendatio Conr. Celtis.

2) Sic codex, non, ut Magnin opinatur, obaudunt.

3) Sic codex, non aures, ut Magnin opinatur.

4) Celtes omisit hoc compendio scriptum verbum.

**J.** Quae dementia, — quae insania te decepit, — ut castis praesumeres fragmentis alicuius iniuriam conferre dehonestatis?

**Call.** Propria stultitia — huiusque Fortunati fraudulenta deceptio.

**J.** Num triplici infortunio adeo infelix effectus es, — ut nefas, quod voluisti perficere posses?

**C.** Nullatenus. Licit non defuisset velle — possiblitas, tamen omnino defuit posse.

**J.** Quo pacto impeditiebaris?

**C.** Ut primum distracto tegmine — conviciis tentavi lacessere corpus exanime, — iste Fortunatus, qui fomes mali et incensor<sup>1)</sup> extitit, — serpentinis perfusus venenis periit.

**A.** O factum bene!

**C.** Mihi autem apparuit iuvenis aspectu terribilis, qui detectum corpus honorifice texit, ex cuius flammæ facie candentes in bustum scintillæ transliebant, quarum una resiliens mihi in faciem ferebatur, simulque vox facta est dicens: *Callimache morere, ut vivas!* His dictis expiravi.<sup>2)</sup>

**J.** Opus coelestis gratiae, qui<sup>3)</sup> non delectatur in impiorum perditione.

1) Codicis prior lectio *incensor*, ipsius librarii manu, non Celtis coniectura, ut Magnin putat, conversa in *incensor*.

2) Sic codex, perantiquis litterarum ductibus emendationis loco additum ipsius librarii portentum: *expiravi*.

3) Sic codex; fortasse, ut editiones hoc verbum exhibent, mutandum in: *quae*.

C. Audisti miseriam meae perditionis, — noli elongare medelam tuae miseracionis.

J. Non elongabo.

C. Nam nimium confundor, — cordetenus contristor, — anxio, — gemo, — doleo, — super gravi impietate mea.

J. Nec immerito, quippe grave delictum — haud leve poenitutinis expectat remedium.

C. O utinam reserarentur secreta meorum viscerum latibula, quo interim amaritudinem quam patior doloris perspiceres, et dolenti condoleres.

J. Congaudeo huiusmodi dolori, — quia sentio te salubriter contristari.

C. Taedet me prioris vitae, — taedet delectationis iniquae.

J. Nec iniuria.

C. Poenitetque deliquii.

J. Et merito.

C. Displacet omne, quod feci, in tantum, ut nullus amor, nulla voluptas sit vivendi, nisi renatus in Christo merear in melius transmutari.

J. Non dubito, quin superna gratia in te appareat.

C. Ideo ne moreris, — ne pigriteris, — lassum erigere, — moerentem consolationibus attollere, — quo tuo monitu, — tuo magisterio, — a gentili in christianum, — a nugace in castum — transmutatus virum, — tuoque ducatu semitam arripiens veritatis, — vivam iuxta divinae p[ro]aeconium promissionis.

*J.* Benedicta sit unica progenies divinitatis, — idemque particeps nostrae fragilitatis, — qui te, fili Callimache, parcendo occidit, — et occidendo vivificavit, — quo suum plasma mortis specie — ab interitu liberaret animae.

*A.* Res insolita -- omniisque admiratione digna.

*J.* O Christe, mundi redemptio et peccatorum propitiatio,<sup>1)</sup> qualibus laudum paeconii te talem celebrem ignoro. Expaveo tui benignam clementiam, — et clementem patientiam, — qui peccantes nunc paterno more — tolerando blandiris, — nunc iusta severitate castigando ad poenitentiam cogis.

*A.* Laus eius divinae pietati.

*J.* Quis auderet credere, — quisve praesumeret sperare, — ut hunc, quem in criminosis intentum vitiis mors invenit, — et inventum abstulit — tui miseratio ad vitam exitare, — ad veniam dignaretur reparare? Sit nomen tuum sanctum benedictum in secula, — qui solus facis stupenda mirabilia.

*A.* Eia, sancte Joannes, — et me consolari ne tardes. Nam coniugalis amor Drusiana meam haud patitur mentem consistere, — nisi et ipsam quantocius videam resurrectum ire.

*J.* Drusiana, resuscitet te dominus Jesus Christus.

*Drusiana.* Laus et honor tibi, Christe, — qui me fecisti reviviscere.

---

1) Sic ipse codex, non, ut Magnin docet, propinatio, itaque Celtis emendatione non opus fuit.

C. Sospitatis auctori grates, qui te, mea Drusiana,  
resurgere dedit in laetitia, quae gravi cum tristitia  
die<sup>1)</sup> fungebaris extrema.

*Drus.* Decet tui sanctitatem, venerande pater  
Joannes, ut resuscitato Callimacho, qui me inilicite  
amavit, et hunc resuscites, qui mei proditor fune-  
ris extitit.

C. Ne dignum ducas, — Christi apostole, — hunc  
proditorem, — hunc malefactorem a vinculis mortis  
absolvere, — qui me decepit, — me seduxit, — meque  
ad audendum horribile facinus provocavit.

J. Non debes illi invidere gratiam divinae clem-  
entiae.

C. Non est enim dignus resurrectione, — qui  
auctor extitit perditionis alienae.

J. Lex nostrae religionis docet, — ut homo ho-  
mini dimittat, — si ipse a deo dimitti ambiat.

#### A. Iustum.

J. Quando etiam dei unigenitus, idemque vir-  
ginis primogenitus, — qui solus innocens, solus im-  
maculatus, — solus sine veterni sorde<sup>2)</sup> delicti in  
mundum venit; — omnes sub gravi onere peccati  
depressos invenit.

1) Dijudicare controversiam non ausim, atrum littera i priori  
codicis scriptio (defungebaris) manu Conr. Celtis superscripta  
sit, quae est opinio Magnini, an ipsius librarii manu.

2) Verbum *fuit*, quod in codice hoc loco legebatur, a librario  
expunctum, non, quod Magnini docet, a Celte primum omissum.

**A.** Verum.

**J.** Sed licet<sup>1)</sup> nullum iustum, — nullum misericordia inveniret dignum, — neminem tamen sprevit, — neminem suae gratia pietatis privavit, — sed se ipsum omnibus<sup>2)</sup> tradidit, — suique dilectam animam pro omnibus posuit.

**A.** Si innocens non occideretur, nemo iuste liberaretur.

**J.** Ideo in hominum non delectatur perditione, — quos suos emptos meminit pretiosq; sanguine.

**A.** Gratias illi.

**J.** Unde aliis dei gratiam non debemus invidere, quam ex nullis praecedentibus meritis in nobis gaudemus abundare.

**C.** Terruisti me monitu.

**J.** Ne autem tuis videar reniti votis, non suscitetur per me, sed per Drusianam, quia ad hoc impletum a deo accepit gratiam.

**Drusian.** Divina substantia, quae vere et singulariter es sine materia forma,<sup>3)</sup> quae hominem ad tui imaginem plasmasti, et plasmato spiraculum vitae inspirasti, iube materiale corpus Fortunati, redacto calore in viventem animam iterum reformari, quo

1) Sic codex, editiones: scilicet.

2) Celtes omisit, omnibus.

3) Sic codex. Celtes recte, Magnin: sine materiae forma. Schurzfleisch miram doctrinae Aristoteleae emendationem hoc loco in lucem protraxit: *sine materia et forma*.

trina nostri resuscitatio tibi in laudem vertatur, tri-nitas veneranda.

*J.* Amen.

*Drus.* Expergiscere, Fortunate, — et iussu Christi retinacula mortis disrumpe.

*Fortunatus.* Quis me apprehensa manu erexit? Quis vocem, ut resurgerem dedit?

*J.* Drusiana.

*Fortun.* Num me suscitavit Drusiana?

*J.* Ipsa.

*Fort.* Nonne ante aliquot dies improvisa morte fuerat consumta?

*J.* At vivit in Christo.

*Fort.* Et cur manet Callimachus gravi vultu modestus, nec perfurit solito more in amore Drusianae?

*J.* Quia a nequam intentione transmutatus, — vere est Christi discipulus.

*Fort.* Non.

*J.* Etiam.

*Fort.* Si ut asseris, Drusiana me suscitavit et Callimachus Christo credidit, vitam repudio, mortemque eligo sponte, quia malo non esse, quam in his tantarum abundantium virtutum gratiam<sup>1)</sup> sentiscere.

*J.* O admiranda diaboli invidia, — o malitia ser-pentis antiqui, — qui et protoplastis mortem propi-

1) Sic, ni fallor, in codice. Magnin: tantum abundanter virtu-tum gratiam. Schurzfleisch: tantam abundanter virtutum gratiam.

navit, — et super iustorum gloria semper gemit. Iste infelicissimus Fortunatus diabolicae amaritudinis felle plenissimus, comparatur malae arbori, — amaros fractus facienti. — Unde excisus a collegio iustorum, — et abiectus a consortio deum timentium, — mittatur in aeterni ignem supplicii, — cruciandus sine alicuius intermixtione refrigerii.

**A.** Ecce, turgentibus serpentinis morsibus ad occassum rursus vergitur et citius dicto morietur.

**J.** Moriatur, sitque incola gehennae, qui propter alieni invidiam profectus recusavit vivere.

**A.** Terribile.

**J.** Nihil terribilis invido, — nihil scelestius superbo.

**A.** Uterque miserabilis.

**J.**<sup>1)</sup> Una eademque persona utroque semper laboret vitio, quia neutrum sine altero.

**A.**<sup>1)</sup> Expone enucleatius.

**J.**<sup>1)</sup> Nam qui superbit invidet, et qui invidet superbit; quia mens invida, dum alienam laudem nec patitur audire, et in sui comparatione perfectiores ambit' vilescere, designatur subiici dignioribus, — et superbe conatur praeferri comparibus.

**A.** Patet.

**J.** Unde iste miserrimus vulnerabatur mente, quia

1) Hoc loco nomina: *Jo.* et *An.*, omissa in codice, in margine manu Conr. Celtis adscripta sunt.

se his inferiorem aestimari non sustinuit, in quis ampliorem dei gratiam lucere non nescivit.

**A.** Nunc tandem intellego quod inter surgentes minime est computatus, quia ocios erat moriturus.

**J.** Dignus est enim utraque morte, quia et commendatum funus **afficiebat iniuria**, et resurgentes iniusto insectabatur odio.

**A.** Infelix est mortuus.

**J.** Recedamus, suumque diabolo filium relinquamus. Nos autem diem istum et pro miranda Callimachi mutatione, et pro utriusque resuscitatione<sup>1)</sup> cum laetitia agamus, gratias ferentes deo, aequo iudici secretorumque discretissimo cognitori, qui solus omnia subtiliter examinans, — omnia recte disponens, — unumquemque, iuxta quod dignum, praenoscit, — praemiis, suppliciisve aptabit. Ipsi soli honor, — virtus, — fortitudo, — et Victoria, laus et iubilatio per infinita saeculorum saecula. Amen.

---

1) Litterae: re: ab ipso librario scriptioni: suscitations superscriptae.

## IV.

# Abraham.

Lapsus et conversio Mariae, neptis Abrahae, eremolae, quae ubi XX annos solitariam vitam elegit, corrupta virginitate saeculum repetit, et contubernio meretricum admisceri non metuit, sed post biennium praefati Abrahae monitis, illam sub amatoris specie quaerentis, reducta larga effusione lacrimarum continua-que exercitatione ieuniorum, vigiliarum atque orationum per vicenos annos emundavit maculas criminum.

### FABULAE PERSONAE.

*Abraham. — Ephrem. — Maria.*

### SCENA I.

*Abraham.* Tune frater et coeremita Ephrem, commodum ducis meae adhuc confabulationi vacare, — an quoadusque divinas expleas laudes me vis praestolari?

*Ephrem.* Nostrorum confabulatio — eius debet esse laudatio — qui se congregatis in suo nomine medium spopondit interesse.

*A.* Nihil aliud locuturus accessi, — nisi quod divinae voluntati non nescio concordari.<sup>1)</sup>

---

1) Commodari: Celtes.

*Eph.* Quare nec ad momentum quidem me subtraho, — sed tuo affectui totum dedo.

*A.* Quiddam agendum mihi aestuat mente, — in quo tuum velle meis votis exopto respondere.

*Eph.* Si unum cor — unaque nobis<sup>1)</sup> anima iubetur esse, — idem velle, idemque cogimur nolle.

*A.* Est mihi neptis tenella — utriusque parentis solamine destituta, — in quam pro compassione orbitatis nimio affectu ducor, — cuiusque causa continua sollicitudine fatigor.

*E.* Et quid tibi triumphator saeculi, — cum curis mundi?

*A.* Id scilicet curo, ne immensa eius serenitas pulchritudinis — alicuius obfuscetur sorde coquinationis.

*E.* Huius modi cura si<sup>2)</sup> est vituperanda.

*A.* Spero.

*E.* Cuius est aetatis?<sup>3)</sup>

*A.* Si unius rotatus mensurni<sup>4)</sup> apponenteretur, duas olympiades vitali aura vesteretur.

*E.* Immatura pupilla.

*A.* Ideo mihi non deest cura.

*E.* Ubi degit?

1) Celtes omisit: *que nobis*.

2) Ad marginem adscriptum: *non*, fortasse manu Celtis, qui eandem lectionem in editionem principem recepit.

3) Codex: *aestatis*.

4) Apud Hrotsvitham haec *vox annum* significat.

*A.* In meis mansiunculis. Nam rogatu propinquorum nutriendam eam suscepi; — sed eius gazas pauperibus erogare decrevi.

*E.* Despectio temporalium condecet animum, coelo intentum.

*A.* Exaestuo mente gestiens illam Christo desponsare,<sup>1)</sup> eiusque tirocinio mancipatum ire.

*E.* Laudabile.

*A.* Cogor nomine.

*E.* Quid vocatur?

*A.* Maria.

*E.* Ita est; tanti excellentiam nominis decet stemma virginitatis.

*A.* Non diffido, quin si nostris suaviterhortamentis provocetur, ad cedendum<sup>2)</sup> facilis experiatur.

*E.* Accedamus, eiusque cogitationi caelibis securitatem vitae instillemus.

## S C E N A II.

*Abraham.* O adoptitia<sup>3)</sup> filia, o meae pars animae, Maria, — cede meis paternis monitionibus meique comparis Ephrem saluberrimis institutionibus; — enitere ut auctricem virginitatis, quam aequivoco aequiparas nomine, imiteris et castitate.

1) Codex: dispensari. Emendatio est Conradi Celtis.

2) Codex: edendum. Littera C manu librarii superscripta.

3) Sic codex. Celtes: adoptiva. Magnin adoptatitia.

*Ephrem.* Multum disconvenit filia, ut quae cum dei genetrice Maria per mysterium nominis praeemines in axe inter sidera numquam casura, inferior meritis in terrae volutes infimis.

*Maria.* Mysterium nominis ignoro, — unde quid circuitione verborum signifaces, — haud intellego.

*E.* Maria interpretatur *stella maris*, — circa quam videlicet fertur mundus et vocatur populus.

*M.* Cur maris stella dicitur?

*E.* Quia numquam occidit, — sed navigantibus recti semitam itineris dirigit.

*M.* Et qui posset fieri, — ut ego tantilla ex lutea materia confecta — eo attingerem meritis — quo mysterium rutilat nominis!

*E.* Illibata corporis integritate, — puraque mentis sanctitate.

*M.* Grandis est honoris — hominem aequari astrorum radiis.

*E.* Nam si incorrupta et virgo permanebis, — angelis dei fies aequalis, — quibus tandem stipata, — gravi corporis onere abiecta, — pertransies<sup>1)</sup> aera, supergradieris aethera, — zodiacum percurses circum, — nec subsistendo temperabis gressum, — donec amplexaris amplexibus filii virginis — in lucifluo thalamo sui geneticis.

*M.* Qui haec parvi pendet — asinum vivit. Unde

---

1) Sic codex. Editiones: pertransiens.

praesentia despicio, — memet ipsam denego, — quo  
merear ascribi gaudiis tantae felicitatis.

**E.** Ecce nanciscimur in pectore infantili — seni-  
lis maturitatem ingenii.

**A.** Gratia dei est, — id quod est.

**E.** Negari<sup>1)</sup> nequit.

**A.** Sed licet dei gratia sit illustrata, — imbecillem  
tamen aetatem — suo uti non prodest arbitrio.

**E.** Verum.

**A.** Ideo faciam illi exiguum ab introitu cellulam  
meis mansiunculis contiguam, — per cuius fenestram  
psalterium — ceterasque divinae legis paginas, illam  
crebrius visitando instruam.

**E.** Convenit.

**M.** Tuo, pater Ephrem, interventui me committo.

**E.** Coelestis sponsus, — cuius affectu in tenella  
aetate inhaesisti — tueatur te, filia, ab omni fraude  
diaboli.

### S C E N A   I I I .

**A.** Frater Ephrem si quid mihi utriusque casu  
fortunae ingeritur, — te primum adeo, — te solum  
prosequor. Unde ne sis adversus querimoniae, quam  
prosequor, — sed fer opem dolori, quem patior.

**E.** Abraham, Abraham, quid pateris? — Cur plus  
licito contristaris? — Numquam fuit fas eremicolae  
conturbari saecularium more.

1) Codex: negare.

*A.* Incomparabilis luctus mihi contigit, — intolerabilis dolor me afficit.

*E.* Ne fatiga me longa verborum circuitione, — sed quid patiaris expone.

*A.* Maria mis optiva filia, — quam per bis bina lustra, — summa diligentia nutrita, — summa solertia instruxi.

*E.* Quid illa?

*A.* Hei mihi! periit.

*E.* Qualiter?

*A.* Miserabiliter; — deinde evasit latenter.

*E.* Quibus insidiis circumvenit eam fraus antiqui serpentis?

*A.* Per inlicitum cuiusdam simulatoris affectum, — qui monachico adveniens habitu simulata eam visitatione frequentabat, — donec indocile iuvenilis ingenium pectoris ad sui amorem inflexit, — adeo ut per fenestram ad patrandum facinus exilivit.<sup>1)</sup>

*E.* Contremisco auditu.

*A.* At ubi ipsa infelix se corruptam sensit, — pectus pulsavit, — faciem manu laceravit, — vestes scidit, — capillos eruit — voces in altum eiulando dedit.

*E.* Nec iniuria, — huiusmodi namque ruina, — toto lacrimarum fonte est lugenda.

*A.* Lamentabatur namque se quod fuerat non esse.

1) Librarii manu correctio: *exiliret* addita, non, ut Magnini putat, calamo Celtis.

- E.** Vae illi miserae.  
**A.** Lugebat se nostris contraria monitis egisse.  
**E.** Ac valde.  
**A.** Deflevit se vigiliarum, — orationum, — ieiuniique sudores evacuasse.  
**E.** Si in tali compunctione perseveraret, — salva fieret.  
**A.** Haud perseveravit, — sed peiora prioribus apposuit.  
**E.** Viscera tenuis conturbor, — totisque membris resolvor.  
**A.** Postquam enim hisce lamentis<sup>1)</sup> se punivit, nimietate victa doloris, — praeceps ferebatur in foveam desperationis.  
**E.** Eh heu quam gravis perditio.  
**A.** Et quia veniam desperavit posse promereri, — saeculum repetere — vanitatique elegit deservire.  
**E.** Hem, par Victoria spiritualibus in sorte erimicolarum nequitiis antea fuit insolita.  
**A.** Sed nunc daemonum sumus praeda.  
**E.** Mirum qui fieri posset, — ut te ignarante evaderet.  
**A.** Interim fueram consternatus mente — ex ostensae visionis terrore, — qua si<sup>2)</sup> mens non fuisset laeva, — mihi praefigurabatur eius ruina.

1) Sic codex, Freytag: De Hrosvitha poetria. Vratsl. 1839, et Magnin. Celtes et Schurzfleisch: his celamentis.

2) Codex et Celtes: quasi. Emendatio Gustavi Freytag l. l.,

**E.** Vellem modum visionis audire.

**A.** Putabam me ante fores<sup>1)</sup> cellulae stetisse, — et ecce draco mirae magnitudinis nimique foetoris, rapido impetu adveniens, — candidulam secus me columbam repperiens, — cepit, — devoravit, — subitoque non comparnit.

**E.** Evidens visio.

**A.** At ego, ubi expurgiscens mente quae videbam tractavi, — verebar aliquam ecclesiae imminere persecutionem, — quae fideles quosdam attraheret in errorem.

**E.** Verendum erat.

**A.** Unde prostratus in orationem praecognitori futurorum supplicavi, — ut mihi detegeret solutionem somnii.

**E.** Recte egisti.

**A.** Tertia demum nocte, cum lassa sopori — membra dedissem, — putabam eundem draconem meis vestigiis disruptum volutasse, — ipsamque columbam absque laesione emicuisse.

**E.** Laetificor auditu, — nec ambigo quin tua quandoque ad te revertatur Maria.

**A.** Postquam evigilans huius solamine visionis —

---

recepta a Magnin. Praeterea hoc loco errore librarii in codice: interim fueram mente consternatus mente — ut bis legatur vox: mente, perperam iterata.

1) Codex foras. Littera e antiquis ductibus a librario supercripta, littera a expuncta; non, ut Magnin docet, a Celte.

temperabam tristitiam prioris, — mentem recepi ut reminiscerer<sup>1)</sup> alumnae. Illud quoque si sine tristitia memini, quod ipsam in duorum intervallo dierum divinae iunitentem laudi solito non sensi.

*E.* Sero meministi.

*A.* Fateor. Accessi, — manu fenestram pulsavi, — filiam saepius nominando vocavi.

*E.* Ah, frustra vocasti.

*A.* Hoc adhuc non sensi, — sed cur neglegenter in divinis ageret rogavi, — sed nec levis tinnitus responsi recepi.

*E.* <sup>2)</sup> Et quid <sup>3)</sup> tunc fecisti?

*A.* <sup>2)</sup> Ubi abesse quam quaerebam deprehendi, — viscera discutiebantur timore, — membra contremuerunt pavore.

*E.* Nec mirum. Certe et ego — id ipsum nunc patior audiendo.

*A.* Deinde flebilibus sonis auras pollui, — cogitans quis lupus meam agnam raperet, — quis latro meam filiam captivaret?

*E.* Iure conquestus fuisti eius perditionem, quam nutritisti. <sup>4)</sup>

*A.* Tandem accesserunt, qui veritatem scientes res<sup>5)</sup>

1) Codex: reminiscer.

2) Hoc loco personarum nomina desunt in codice.

3) Codex: quod.

4) Sic codex, noh, ut Magnin, nutritisti.

5) Celtes: rem.

sese, ita ut tibi nunc exposui, habere ipsamque vanitati dixerunt deservire.

**E.** Ubi moratur?

**A.** Ignoratur.

**E.** Quid fiet?

**A.** Est mihi fidelis amicus, qui civitates, villasque peragrans, — non quiescet, — donec quae illam terra suscepit, — agnoscet.

**E.** Quid si experietur?

**A.** Habitum mutabo, ipsamque sub amatoris specie adibo, — si forte meo monitu post grave naufragium revertatur — ad pristinae quietis portum.

**E.** Et iam<sup>1)</sup> quid fiet, si carnium esus vinique haustus apponetur?

**A.** Haud abrogabo, ne agnoscar.

**E.** Recta prorsus laudabilique discretione uteris, si artioris frenos<sup>2)</sup> observantiae aliquantis per laxabis, quo errantem Christo lucreris.

**A.** Eo magis ad audendum incitor, quo te mihi in hac<sup>3)</sup> concordari re experior.

**E.** Qui clancula cordium cognoscit — qua intentione unaquaeque res geratur intellegit, nec in discretissimo eius examine reus praevaricationis habetur, qui a<sup>4)</sup> strictioris rigore conversationis ad

1) Sic codex; editiones: etiam.

2) Codex frenas. Celtes frena.

3) Codex fortasse rectius *in hoc*.

4) Codex: quia, expuncta littera *a*. Celtes, Schurzfl. quia. Magnin, Freytag: qui *a*.

tempus descendende<sup>1)</sup>) — imbecillioribus assimilari non respuit — quo efficacius animam revocet quae erravit.

*A.* Tuum est interim me precibus adiuvare — ne impediatur diabolica fraude.

*E.* Ipsum summum bonum, sine quo nihil fit boni, — faciat tuum velle in bono consummari.

#### S C E N A I V.

*Abraham.* Num ille est meus amicus, quem ante hoc biennium pro inquisitu direxi Mariae? Ipse est.

*Amicus.* Ave venerande pater.

*Abr.* Ave, affabilis amice; diu te sustinui, — sed nunc advenire desperavi.

*Am.* Ideo moram feci, — quia te ambigua res sollicitari<sup>2)</sup> non praesumpsi. At ubi veritatem investigavi, — redditum maturavi.

*Ab.* Vidistin' Mariam?

*Am.* Vidi.

*Ab.* Ubi?

*Am.* Qua dictu miserabile.<sup>3)</sup>

*Ab.* Dic, obsecro.

*Am.* In domo cuiusdam lenonis habitationem elegit, — qui tenello amore illam colit; — nec frustra: —

---

1) Codex: descendō: superscriptae voci manu librarii litterae: den.

2) Celtes: sollicitare.

3) Sic codex, Magnin: quam.

nām omni die non modica illi pecunia ab eius amatoribus adducitur.

*Ab.* A Mariae amatoribus?

*Am.* Ab ipsis.

*Ab.* Qui sunt eius amatores?

*Am.* Perplures.

*Ab.* Hei mihi, o bone Jesu! Quid hoc monstrum est, — quod hanc quam tibi ipsi sponsam nutrivi, — alienos amatores audio sequi?

*Am.* Hoc meretricibus antiquitus fuit in more, — ut alieno delectarentur in amore.<sup>1)</sup>

*Ab.* Affer mihi sonipedem delicatum et militarem habitum, quo deposito tegmine religionis ipsam aдеam sub specie<sup>2)</sup> amatoris.

*Am.* Ecce omnia.

*Ab.* Obsecro, affer, et pileum, quo coronam valem capitisi.

*Am.* Hoc maxime opus est, ne agnoscaris.

*Ab.* Quid si unum solidum quem habeo necum afferam, — quo stabulario pro mercede tribuam?

*Am.* Aliter ad colloquium Mariae non potes pervenire.

#### S.C.E.NA V.

*Abr.* Salve, bone stabularie.<sup>3)</sup>

*Stabularius.* Quis loquitur? Hospes salve.

1) Celtes: omisit: in.

2) Celtes: sub spem.

3) Codex stabularie: Magnin: stabulari.

*Ab.* Estne apud te locus viatori ad pernoctandum aptus?

*Stab.* Est plane; nostra hospitiola — nulli sunt neganda.

*Ab.* Laudabile.

*Stab.* Intra, — ut tibi praeparetur coena.

*Abr.* Magna<sup>1)</sup> tibi pro hilari susceptione debeo, sed adhuc maiora a te expeto.

*Stab.* Quae voles ut concessurum efflagita.

*Ab.* Accipe vile munus, quod defero, — et fac ut per pulchra, quam tecum observari<sup>2)</sup> experiebar puella — nostro intersit convivio.

*Stab.* Cur illam desideras videre?

*Ab.* Quia nimium delector in eius agnitione, — cuius pulchritudinem a pluribus laudari audiebam saepissime.

*Stab.* Quisquis laudator eius formae extitit, nihil febellit. Nam praenitet venusta vultu p[ro]ae ceteris mulieribus.

*Ab.* Ideo ardeo in eius amore.

*Stab.* Miror te in decrepita senectute iuvenculae mulieris amorem spirare.

*A.* Per certe nullius aliis rei causa accessi, nisi eam videndi.

1) Codex magnas, in ipso codice Celtes restituuisse magna videtur.

2) Contra lectionem codicis Magnin: obversari.

## S C E N A VI.

*Stabularius.* Procede, procede,<sup>1)</sup> Maria, tuique pulchritudinem nostro neophyto ostende.

*Maria.* Ecce venio.

*Ab.* Quae fiducia, quae constantia mentis mihi posthaec, cum hanc, quam nutritvi in eremi latibulis, meretricio vultu ornatam conspicio? Sed non est tempus ut praefiguretur in facie, — quod tenetur in corde. Erumpentes lacrimas viriliter stringo, — et simulata vultus hilaritate internae amaritudinem moestitudinis contego.

*Stab.* Fortunata Maria laetare, — quia non solum, ut hactenus tui coaevi, — sed etiam senio — iam confecti te adeunt, — te ad amandum confluunt.

*Maria.* Quicunque me diligunt, — aequalem amoris vicem a me recipient.

*Ab.* Acoede, Maria, — et da mihi osculum.

*Mar.* Non solum dulcia oscula libabo, — sed etiam crebris senile collum amplexibus mulcebo.

*Ab.* Hoc volo.

*M.* Quid sentio? — Quid stupendae novitatis gustando haurio? — Ecce, odor istius fragrantiae — praetendit fragrantiam mihi quondam usitatae abstinentiae.

*Ab.* Nunc, nunc simulandum, — nunc lascivientis more pueri iocis instandum, — ne et ego agnoscar

1) Celtes semel tantum: *procede*.

prae gravitate, — et ipsa se reddat latibulis prae pudore.

**M.** Vae mihi infelici! — Unde cecidi, et in quam perditionis soveam corrui?

**A.** Hic non est aptus querela locus, — ubi convivorum confluit conventus.

**Stab.** Domna Maria, cur suspiria trahis? — Cur mades facrimis? — Nonne per biennium hic conversabaris, — et numquiam ex te gemitus prorupit, — numquiam tristior sermo prodiit.

**M.** O utinam fuisse ante trium annorum spatio<sup>1)</sup> morte absumpta, — ne ad tanta devenirem flagitia.

**A.** Non ut tua tecum<sup>2)</sup> peccata plangerem adveni, — sed ut tuo iungerer amori.

**M.** Levi compunctione permovébar, — ideo talia fabar. Sed epulemur et laetemur, quia, ut monuisti, — hic non est tempus peccata plangendi.

**A.** Affatim refecti, affatim sumus ebriati — tua largitate administrante, o bone stabulari; da licentiam a coena surgendi, quo lassum corpus in stratum componam, dulcique quiete recreem.

**Stab.** Ut libet.

**M.** Surge, domine mihi, surge; tecum pariter tendam ad cubile.

1) *Annorum spatio:* a librario omissa, exiguis litterarum ductibus et pallidiore atramento superscripta.

2) Hanc vocem omisit Celtes.

*A.* Placet. — Nullatenus cogi possem, ut te non  
comitante<sup>1)</sup> exirem.

## S C E N A VII.

*Maria.* Ecce triclinium ad inhabitandum nobis  
aptum; ecce lectus haud vilibus stramentis compo-  
sitū. Sede ut tibi detrahā calciamenta, ne tu ipse  
fatigeris discalciando.<sup>2)</sup>

*A.* Muni prius seris ostium, ne quis introeundi  
inveniat aditum.

*M.* Super hoc ne solliciteris; faciam ut nulli ad  
nos tribuatur accessus facilis.

*A.* Tempus ablato capitis velamine quis sim ape-  
rire. — O adoptiva filia, o meae pars animae, *Maria*,  
agnoscisne me senem, qui te paterno amore nutriti,  
qui te coelestis regis unigenito desponsavi?

*M.* Hei mihi! Pater et magister meus *Abraham*,  
est qui loquitur.

*A.* Quid contigit tibi, filia?

*M.* Grayis miseria.

*A.* Quis te decepit? Quis te seduxit?

*M.* Qui protoplastos prostravit.

*A.* Ubi est angelica illa, quam in terris egisti,  
conversatio?

1) In codice: te comitante non. Litterarum a. b. superscripta-  
rum signis iusta continuatio verborum indicatur.

2) Codex: discalciendo.

**M.** Prorsus perdita.

**A.** Ubi est verecundia tua virginis? Ubi continentia admirabilis?

**M.** Evacuata.

**A.** Quam' mercedem, nisi resipiscas, pro ieuniorum, orationum, vigiliarum sudore ultra potes sperare, cum velut lapsa ab altitudine coeli dimersa es in profundum inferni?

**M.** Eh heu!

**A.** Qua re me despexisti? Quare deseruisti? Quare eventum tuae perditionis mihi non indicasti? quo ego cum dilecto meo Ephrem, dignam pro te poenitentiam agerem?

**M.** Postquam lapsa in peccatis corrui, tuae sanctitati polluta proximare non praesumpsi.

**A.** Quis unquam a peccato exstigit immunis, nisi solus filius virginis?

**M.** Nullus.

**A.** Humanum est peccare, — diabolicum in peccatis durare, — nec iure reprehenditur qui subito cadit, — sed qui citius surgere neglegit.

**M.** Hei mihi infelici!

**A.** Cur decidis? cur in terra iaces immobilis? — Erigere et quae dicam percipe.

**M.** Pavore concussa corrui, quia vim paternae monitionis ferre nequivi.

**A.** Attende mei in te dilectionem, et depone timorem —

**M.** Nequeo.

**A.** Nonne tui causa desiderabilem eremi habitacionem reliqui — omnemque<sup>1)</sup> regularis observantiam conversationis pene evacuavi, — in tantum ut ego verus eremicola, — factus sum lascivientium conviva, — et qui diu silentio studebam; iocularia verba, — ne agnoscerer, proferebam? — Cur demissso vultu<sup>2)</sup> terram inspicis? — Cur respondendo mecum verba miscere deginaris?

**M.** Proprii conscientia reatus confundor. Ideo nec oculos ad coelum levare, — nec sermonem tecum praesumo conserere.

**A.** Noli diffidere, filia, — noli desperare, — sed emerge de abyssو desperationis — et fige in deo spem mentis.

**M.** Enormitas peccatorum prostravit me in desperationis profundum.

**A.** Peccata quidem tua sunt gravia, — fateor,<sup>3)</sup> sed superna pietas maior est omni creatura. Unde tristitias<sup>4)</sup> rumpue, datumque poenitendi spatiolum pigritando noli neglegere, quatinus superabundet divina gratia, — ubi superabundavit facinorum abominatio.

1) Celtes omisit: que.

2) *Vultu*: hoc verbum in codice a librario omissum, deinde ab eodem superscriptum.

3) *Fateor*: omisit Celtes.

4) *Codex*: *trisas*: litterae: *tici* manu librarii superscriptae.

**M.** Si ulla promerendae spes suaे veniae inesset, studium poenitendi minime deesset.

**A.** Miserere meae quam pro te subii lassitudinis, et depone perniciosaм desperationem; — quam omnibus commissis non nescimus esse graviorem. Qui enim peccantibus deum misereri velle desperat, — inremediabiliter peccat, — quia sicut scintilla silicis pelagus nequit inflammare, — ita nostrorum acerbitas peccaminum divinae dulcedinem benignitatis non valet immutare.

**M.** Non enim supernae magnificentiam pietatis nego, — sed proprii enormitatem sceleris considerando, ad dignae satisfactionem<sup>1)</sup>, poenitentiae vereor non sufficere.

**A.** In me sit iniquitas tua; — tantummodo revertere ad locum unde existi, — et ini secundo conversationem, quam deseruisti.

**M.** In nullo unquam tui renitor — votis, sed quae iubes, obtemperanter amplector.<sup>2)</sup>

**A.** Nunc fateor te vere meam<sup>3)</sup> quam nutriti filiam, — nunc censeo te prae omnibus diligendam.

**M.** Aliquantulum auri vestiumque possideo, — quod tua de his auctoritas decreverit expecto.

**A.** Quae acquisivisti peccando — cum ipsis peccatis sunt abiicienda.

---

1) Codex: satisfactionem.

2) Celtes: amplectar.

3) Meam: omisit Celtes.

**M.** Rebar pauperibus eroganda, seu sacris esse altaribus offerenda.

**A.** Non satis acceptabile munus deo esse comprobatur, — quod criminibus acquiritur.

**M.** Nulla super his ultra sollicitudine fatigar.

**A.** Matuta nitescit, — lucescit, — abeamus.

**M.** Tuum est pater amande, ut ad instar boni pastoris praecedas repartam ovem, — et ego paribus incedens vestigiis subsequor praecedentem.

**A.** Haud ita; sed ego pedibus incedam, — te autem equo superponam, — ne itineris asperitas, — secet teneras plantas.

**M.** O quem te memorem, — quam tibi gratiarum impendam recompensationem, — qui me indignam miseratione non terrore cogis, — sed miti condescensione ad poenitentiam hortaris?

**A.** Nihil aliud a te expeto, — nisi ut reliquum vitae inhaerendo insistas dei obsequio.

**M.** Spontanea mente inhaerebam, — pro viribus insistam, — et si facultas desit posse, — numquam tamen deerit velle.

**A.** Convenit ut quo studio deserviebas vanitati, — famuleris divinae voluntati.

**M.** Fiat precor tuis meritis, — ut in me perficiatur voluntas divinitatis.

**A.** Maturemus redditum.

**M.** Maturemus; nam me taedet morarum.

## S C E N A VIII.

*A.* Quanta celeritate asperi difficultatem itineris transcurrimus.

*M.* Quod devote agitur, facile perficitur.

*A.* Ecce tua deserta cellula.

*M.* Hei mihi! Ipsa mei sceleris est conscientia, — ideo ingredi formido.

*A.* Et merito; fugiendus est quippe locus, in quo hostem sequitur triumphus.<sup>1)</sup>

*M.* Et ubi me — decernis compunctioni vacare?

*A.* Ingredere in cellulam<sup>2)</sup> interiorem, — ne vestitus serpens diripiendi — ultra inveniat occasionem.

*M.* Non contra luctor, — sed quae iubes amplector.

## S C E N A I X.

*Abraham.* Familiarem meum Ephrem accedam, quo ipse qui solus tecum tuae condoluit perditioni, congaudeat inventioni.

*Maria.* Competit.

## S C E N A X.

*Ephrem.* Num aliquid affers gaudii?

*Abraham.* Ac magni.

*E.* Placet, — nec dubito quin Mariam nanciscereris.

*A.* Nanciscebar plane, — et gaudens reduxi ad ovile.

---

1) Celtes: fugiendum — — triumphis.

2) Celtes: cellam

- E.** Divinae gratia visitationis factum credo.
- A.** Procul dubio:
- E.** Velle scire, qualiter iuxta id temporis vitam,  
moresque ordinaverit.
- A.** Juxta meum velle.
- E.** Hoc illi expedit vel maxime.
- A.** Quidquid ipsi agendum proposui, — quamvis  
grave, — haud abrogavit subire.
- E.** Laudabile.
- A.** Nam induita cilicio continuaque vigiliaram et  
ieiunii exercitatione macerata, artissimae legis obser-  
vatione corpus tenerum animae cogit<sup>1)</sup> pati imperium.
- E.** Aequum est ut iniquae sordes delectationis —  
eliminentur acerbitate castigationis.
- A.** Quisquis eius lamenta intellegit, — mente vul-  
neratur, — quisquis compunctionem sentit — et ipse  
compungitur.
- E.** Solet fieri.
- A.** Elaborat pro viribus, ut quibus causa fuit  
perditionis — fiat exemplum conversionis.
- E.** Consequens est.
- A.** Nititur ut quanto extitit foedior, — tanto  
appareat nitidior.
- E.** Jucundor audiendo, praecordialique<sup>2)</sup> laetor  
gaudimonio.

---

1) Celtes: coegit.

2) Sic codex et Magnin. Celtes, Schurzfleisch, Freytag: Jucun-  
dior audiéndo prætor, dialique laetor gaudimonio.

**A.** Et merito, nam phalanges angelicae gaudentes dominum laudant super peccatoris conversione.

**E.** Nec mirum; nullius namque iusti magis delectatur perseverantia, — quam impii poenitentia.

**A.** Unde in illa tanto iustius laudatur, — quanto ultra resipisci posse desperabatur.

**E.** Gratulantes laudemus, — laudantes glorificemus — unigenitum et venerabilem, dilectum — et clementem dei filium, — qui non vult perire, — quos sui sacro redemit sanguine.

**A.** Ipsi honor, gloria, laus<sup>1)</sup> et iubilatio per infinita saccula. Amen.

1) Haec vox a Celte omittitur.

## V. Paphnutius.

Argumentum in Paphnutium.<sup>1)</sup>

Conversio Thaidis meretricis, quam Paphnutius eremita, aequa ut Abraham, sub specie adiens amatoris convertit, et data poenitentia per quinquennium in angusta cellula conclusit, donec digna satisfactione deo reconciliata, quinta decima peractae poenitentiae die, obdormivit in Christo.

### FABULAE PERSONAE.

*Paphnutius. — Discipuli. — Thais.*

#### SCENA I.

*Discipuli.* Cur obscurum, pater, vultum, nèc solito geris, Paphnuti, sèrenum?

*Paphnutius.* Cuius cor contristatur,<sup>2)</sup> dius et vultus obscuratur.

*Disc.* Pro qua re contristaris?<sup>3)</sup>

1) Magnin recte monere videtur, in hac argumenti inscriptione, quam Celtes addidit, Pafnuntium scriptum esse.

2) Codex: contristatur.

3) Codex: contristaris, sed a librario emendatum.

**Paphn.** Pro iniuria factoris.

**D.** Quae haec iniuria?

**P.** Ipsam quam a propria patitur creatura ad sui imaginem condita.

**D.** Terruisti nos dictu.

**P.** Licet illa impassibilis maiestas affici non possit iniuriis tamen ut suum<sup>1)</sup> nostrae fragilitatis metaphorice transferam in deum, quae maior iniuria dici potest, quam quod eius imperio, cuius gubernaculis maior mundus obtemperanter subditur, solus minor contra luctetur?

**D.** Quis est minor mundus?

**P.** Homo.

**D.** Homo?

**P.** Porro.

**D.** Qui homo?<sup>2)</sup>

**P.** Omnis.

**D.** Qui potest fieri.

**P.** Ut placuit creatori.

**D.** Non sapimus.

**P.** Non obvium est per pluribus.

**D.** Expone.

**P.** Intendite.

**D.** Ac prompta mente.

**P.** Sicut enim maior mundus ex quatuor con-

1) Sic vel *sensum*: Codex; Celtes: affectus.

2) Magnin: quis homo?

trariis clementis, — sed ad votum creatoris secundum harmonicam moderationem concordan<sup>tibus</sup>, — perficitur, — ita et homo non solum ab eisdem elementis, sed etiam ex magis contrariis partibus coaptatur.

**D.** Et quid magis contrarium, quam elementa?

**P.** Corpus et anima, quia licet illa sint contraria, — tamen sunt corporalia; anima autem<sup>1)</sup> nec mortal is, ut corpus, nec corpus spiritale,<sup>2)</sup> ut anima.

**D.** Ita.

**P.** Si tamen dialecticos sequimur,<sup>3)</sup> nec illa contraria esse fatemur.

**D.** Et quis potest negare?

**P.** Qui dialectice scit disputare, quia *usiae* nihil est contrarium, sed receptatrix est contrariorum.

**D.** Quid sibi vult, quod dixisti, secundum harmonicam moderationem?

**P.** Id scilicet, quod sicut pressi excellentesque soni harmonice coniuncti quiddam perficiunt musicum, ita dissona elementa convenienter concordantia unum perficiunt mundum.

**D.** Mirum quomodo dissona concordari vel concordantia possint dissona<sup>4)</sup> dici.

**P.** Quia nihil ex similibus componi videtur, nec

1) *Autem* omissum in editione Celtis.

2) Codex: *spiritalis*.

3) Post *sequimur* in codice non, ut Magnin docet, exstat unius verbi lacuna, sed vestigia unius vocis erasae.

4) Verbum: *dissona*: calamo librarii superscriptum.

ex his, quae nulla rationis proportione iunguntur, et a se omni substantia naturaque discreta sunt.

- D. Quid est musica?
- P. Disciplina una de philosophiae quadruvio.
- D. Quid est hoc quod dicis quadrivium?
- P. Arithmeticā, geometricā, musica, astronomica.
- D. Ctr quadrivium?
- P. Quia sicut a quadrivio semitae, ita ab uno philosophiae principio harum disciplinarum prodeunt progressiones rectae.
- D. Veremur quiddam investigando rogitare de tribus, quia coptae scrupulum disputationis<sup>1)</sup> cape-dine mentis vix penetrare quimus.
- P. Difficile captu.
- D. Dic nobis de ea superficie tenuis, — cuius mentionem in praesenti fecimus.
- P. Perpartim dicere scio, quia eremicolis est incognita.
- D. Quid agit.
- P. Musica?
- D. Ipsa.
- P. Disputat de sonis.
- D. Utrum est una, an plures?
- P. Tres esse dicuntur; sed una quaeque ratione

---

1) Codex: *disputa*, ceterae verbi litterae pallido atramento superscriptae.

proportionis<sup>1)</sup> alteri ita coniungitur, ut idem quod accedit uni non deest alteri.

**D.** Et quae distantia inter tres?

**P.** Prima dicitur mundana sive coelestis, secunda humana,<sup>2)</sup> tertia quae instrumentis exercetur.

**D.** In quo constat coelestis?

**P.** In septem planetis et in coelesti sphaera.<sup>3)</sup>

**D.** Quomodo?

**P.** Eo videlicet quo illa quae in instrumentis; quia tot spatia, pares productiones, eadem symphoniae repperiuntur in his quae et in chordis.

**D.** Quid sunt spatia?

**P.** Dimensiones, quae numerantur inter planetas sive inter chordas.

**D.** Et quid productiones?

**P.** Idem quod toni.

**D.** Nec horum notitia nos tangit.

**P.** Tonus fit ex duobus sonis et possidet rationem epothoi<sup>4)</sup> numeri sive sesquioctavi.

**D.** Quanto velocius praeposita investigando satagimus transire, tanto difficiliora nobis non desinis apponere.

**P.** Hoc exigit eiusmodi disputatio.

1) Codex proportionis. Celtes: proportionationis. Magnini: proportionis.

2) Celtes hoc quoque loco: mundana.

3) Codex semper: *spera*.

4) Sic codex pro usitata forma: epogdoi.

**D.** Edissere summotenus aliquantulum de symphonii, quo saltem sciamus significationem nominis.

**P.** Symphonia dicitur modulationis temperamentum.

**D.** Qua re?

**P.** Quia nunc quatuor, nunc quinque, nunc octo sonis perficitur.

**D.** Quia tres esse cognoscimus, singularum vocabula dinoscere cupimus.

**P.** Prima dicitur diatessaron, quasi ex quatuor, et possidet proportionem epitritam, sive sesquitertiam;<sup>1)</sup> secunda diapente, quae constat ex<sup>2)</sup> quinque et est in ratione hemiolii sive sesquialteri;<sup>3)</sup> tertia diapason;<sup>4)</sup> haec fit in duplo, perficiturque sonibus octo.

**D.** Num sphaera et planetae proferunt sonum, ut mereantur comparationem chordarum?

**P.** Ac maximum.

**D.** Cur non auditur?

**P.** Multifariam exponunt. Alii autem non audiri posse propter assiduitatem; alii propter aëris spissitudinem. Quidam autem ferunt, quod tanti enormitas sonitus artos aurium nequeat intrare mea-

1) Codex: *sesquitertiam*.

2) Hoc loco non, ut Magnin docet, parva lacuna in codice fint, sed exstant in eo vestigia vocis unius erasae, in cuius locum: *ex orationi interpositum est*.

3) Codex: *sesquialteri*.

4) Codex: *diapason et diateseron*.

tus. Sunt etiam qui dicunt quod sphaera tam iucundum, tam dulcem efferat sonum, ut si audiretur omnes in commune homines semet ipsis neglectis omnibusque postpositis studiis ducentem sonum ab oriente sequentur in occidentem.

**D.** Praestat ut non audiatur.

**P.** Hoc a creatore praesciebatur.

**D.** Sit satis de ista, prosequere de humana.

**P.** Quid de illa?

**D.** In quo percipiatur.

**P.** Non solum, ut dixi, in compagine corporis et animae, nec non in emissione nunc gravis, nunc clarae vocis, sed etiam in pulsibus<sup>1)</sup> venarum, atque in quorundam mensura membrorum, sicut in articulis digitorum, in quibus easdem proportiones mensurando repperimus, quas in symphoniis praemisimus, quia musica dicitur convenientia non solum vocum, sed etiam aliarum dissimilium rerum.

**D.** Si praesciremus<sup>2)</sup> quod huiusmodi nodus quaestionis tam difficilis ad solvendum<sup>3)</sup> esset insciis, — maluissemus minorem mundum nescire, — quam tantum difficultatis subire.

**P.** Nil officit, quod elaborastis, — cum ante ignorata experti estis.

**D.** Verum; sed taedet nos philosophicae dispu-

1) Sic codex, non, ut Magnin opinatur, *impuletibus*.

2) Celtes: *praescissemus*.

3) Codex: *salvendum*; correxit ipse librarius.

tationis, — quia nequimus<sup>1)</sup> sensu emitiri — scrupulum tuae rationis.

**P.** Cur me illuditis, qui plane sum nescius, non philosophus?

**D.** Et unde tibi hacc, quae nos fatigando protulisti?

**P.** Tenuem scientiae guttulam, quam de plenis sciorum pateris<sup>2)</sup> effluentem, — non ad colligendum residens, — sed casu praeteriens, — repartam elambi, vobiscum communicare studui.

**D.** Gratulamur tuae benignitati, — sed terremur sententia apostoli dicentis: — Nam stulta mundi elegit deus, — ut confunderet sophistica.

**P.** Sive stultus, sive sophista perversa operantur, — confusionem a deo merentur.<sup>3)</sup>

**D.** Ita.

**P.** Nec scientia scibilis deum offendit — sed iniustitia scientis.

**D.** Verum.

**P.** Et in cuius laudem dignius iustiusque scientia artium retorquetur, quam in eius qui scibile fecit et scientiam dedit?

**D.** In nullius.

**P.** Quanto enim mirabiliori lege deum omnia in numero et mensura et pondere posuisse quis agnoscit, — tanto in eius amore ardescit.

1) Celtes: *nescimus*.

2) Celtes: *puteis*.

3) Codex: *meretur*.

*D.* Nec iniuria.

*P.* Sed quid moror in istis, quae nobis minimum afferunt delectationis?

*D.* Enuclea nobis causam tui moeroris, — ne diutius frangamur pondere curiositatis.

*P.* Si quando experiemini, auditu non delectabimini.

*D.* Haud raro contristatur qui curiositatem sectatur, — sed tamen hanc nequimus superare, — quia familiaris est fragilitati nostrae.

*P.* Quaedam impudens femina moratur in hac patria.

*D.* Res civibus periculosa.

*P.* Haec miranda praenitet pulchritudine, — et horrenda sordet turpitudine.

*D.* Miserabile! Quid vocatur?

*P.* Thais.

*D.* Illa meretrix?

*P.* Ipsa.

*D.* Eius infamia nulli est incognita.

*P.* Nec mirum, quia non dignatur cum paucis ad interitum tendere, — sed prompta est omnes lenociniis suae formae illicere, — secumque ad interitum trahere.

*D.* Lugubre.

*P.* Nec solum nugaces vilitatem suae familiaris rei dissipant illam colendo, — sed etiam praepotentes viri pretiosae varietatem supellectilis pessum dant, non absque sui damno hanc ditando.

*D.* Horrescimus auditu.

- P.** Greges amatorum ad illam confluunt.  
**D.** Se ipsos perdunt.  
**P.** Qui amentes, dum caeco corde quis illam  
adeat contendunt, — convicia congerunt.  
**D.** Unum vitium parat aliud.  
**P.** Deinde initio certamine nunc ora naresque  
pugnis frangendo, — nunc armis vicissim eiiciendo,  
— decurrentis illuvie sanguinis madefaciunt limina  
lupanaris.  
**D.** O nefas detestabile.  
**P.** Haec iniuria quam deflevi factoris, — haec  
est causa mei doloris.  
**D.** Merito super hoc contristaris, — nec dubita-  
mus quin tecum contristentur cives patriae coelestis.  
**P.** Quid si illam adeam sub specie amatoria, —  
si forte revocari possit ab intentione nugacitatis?  
**D.** Qui tuae cogitationi instillavit velle, — ipse  
praestet efficaciam posse.  
**P.** Fulcite me interim precibus assiduis, — ne  
superer insidiis vitiosi serpentis.  
**D.** Qui regem prostravit tenebricolarum, — lar-  
giatur tibi contra hostem triumphum.

## S C E N A II.

- Paphnutius.** Ecce iuvenes in foro, — illos primum  
adibo — et ubi hanc, quam quaero, inveniam rogabo.  
**Juvenes.** En ignotus quidam nos adit, — expe-  
riemur quid velit

*P.* Heus, iuvenes, qui<sup>1)</sup> estis?

*Juv.* Urbicolae huius civitatis.

*P.* Avete.

*J.* Et tu salve, sive sis huius patriae indigena,  
sive advena.

*P.* Advena nunc advenio.

*J.* Cur advenis? quid quaeris?

*P.* Non est dicendum.

*J.* Qua re?

*P.* Quia mihi secretum.

*J.* Melius ut proferas, — quia si non es nostras,  
— difficile poteris aliquod<sup>2)</sup> inter nos negotium —  
absque concilio peragere incolarum.

*P.* Quid si dixero, — et dicendo aliquod mihi<sup>3)</sup>  
impedimentum excitavero?

*J.* Non a nobis.

*P.* Laetis promissionibus cedo, — vestraeque fidei  
confidens secretum enucleo.

*J.* Nil nostra de parte infidelitatis,<sup>4)</sup> — nihil  
tibi obviabit contrarietas.

*P.* Quorumdam relatu comperi mulierem secus vos  
commorari — omnibus amabilem, omnibus affabilem.

*J.* Nosti eius nomen?

*P.* Novi.

1) Codex: quid —

2) Codex: aliquid.

3) Deest hoc verbum in editione Celtis.

4) Codicis priorem lectionem: *infidelitas* ipse librarius cor-  
rexisse videtur.

- J.* Quid vocatur?
- P.* Thais.
- J.* Ipsa nostratum est ignis.
- P.* Ferunt illam mulierem pulcherrimam — omnium esse delicatissimam.
- J.* Qui retulere,<sup>1)</sup> — nihil fefellere.
- P.* Ipsius causa difficilis prolixitatem viae surripui, — ipsamque ut viderem adveni.
- J.* Nullum tibi obstat impedimentum eam videndi.
- P.* Ubi moratur?
- J.* Ecce mansio in proximo.
- P.* Haec, quam indice proditis?
- J.* Ipsa.
- P.* Illo pergam.
- J.* Si placet, tecum pergemus.
- P.* Malo ire solus.
- J.* Ut libet.

## SCENA III.

*Paphnutius.* Tu istaec intro, Thais, quam quaero?

*Thais.* Quis hic qui loquitur ignotus?

*P.* Amator tuus.

*Th.* Quicunque me amore<sup>2)</sup> colit, — aequam vicem amoris a me recipit.

*P.* O Thais, Thais, quanta gravissimi itineris currebam spatia, quo mihi daretur copia tecum fandi, — tuique faciem contemplandi.

---

1) Codex: *tulere*; syllaba: *re* manu librarii superscripta.

2) Celtes: amare.

**Th.** Nec aspectum subtraho, — nec colloquium denego.

**P.** Secretum nostrae confabulationis — desiderat solitudinem loci secretioris.

**Th.** Ecce cubile bene stratum, — et delectabile ad inhabitandum.

**P.** Estne hic aliud penitus, — in quo possimus colloqui secretius?

**Th.** Est etenim aliud occultum — tam secretum, ut eius penetral nulli praeter me, nisi deo, est<sup>1)</sup> cognitum.

**P.** Cui deo?

**Th.** Vero.

**P.** Credis illum aliquid scire?

**Th.** Non nescio illum nihil latere.

**P.** Utrumne reris<sup>2)</sup> illum facta pravorum<sup>3)</sup> neglegere, — an sui aequitatem servare?

**Th.** Aestimo ipsius aequitatis lance singulorum merita pensari, — et unicuique prout gessit, sive supplicium, sive praemium servari.

1) Hoc loco Magnin: „Sic codex optime. Celtes: sit.“ Quae si recte ei videntur disputata, miror, cur vir doctus aliis locis satis multis indicativum verborum modum, quem codex exhibet, in coniunctivum mutaverit. Hoc praeterea loco non a Celte illa emendatio ducenda; inest in ipso codice, haud scio an ab ipso librario addita sit.

2) Codex: utrum nereris. — Interposita linea syllaba ne a verbo dirimitur.

3) Prior codicis lectio: *pravarum* manu librarii superscripta littera o emendata.

*P.* O Christe, quam miranda tuae circa nos benignitatis patientia, — qui te scientes vides peccare, — et tamen tardas perdere!

*Th.* Cur contremiscis mutato colore?<sup>1)</sup> cur fluunt lacrimae?

*P.* Tui praesumtionem horresco, — tui perditionem defleo, — quia haec nosti, et tantas animas perdidisti.

*Th.* Vae, vae mihi infelici!

*P.* Tanto iustius damnaberis, — quanto prae sumptuosius scienter offendisti maiestatem divinitatis.

*Th.* Heu, heu quid agis? — Quid infelici minitaris?

*P.* Supplicium tibi imminet gehennae, si permanebis in scelere.

*Th.* Severitas tuae correptionis concussit penetral pavidi cordis.

*P.* O utinam esses viscera tenuis concussa timore, ne ultra praesumeres periculosa delectationi assensum praebere.

*Th.* Et quis post haec locus pestiferae delectationi in meo corde potest relinquere, ubi solum intestini moeroris amaritudo, — consciique reatus nova dominatur formido?

*P.* Hoc opto, — quo resectis vitiorum spinis emergere possit lacrima<sup>2)</sup> compunctionis.

1) Eodem modo hic: *calore in colore permutatum*.

2) Sic codex. Magnin: flumen.

**Th.** O si crederes, — o si sperares — me sordidulam, millies millenis sordium oblitam obfuscationibus ulla tenus posse expiari, seu ullo compunctionis<sup>1)</sup> modo veniam promererri...

**P.** Nullum enim grave peccatum, — nullum tam immane est delictum, — quod nequeat expiari poenitentiac lacrimis, — si effectus sequetur operis.

**Th.** Ostende, quaeso, mi pater, quo effectu operis promererri queam munus reconciliationis.

**P.** Contemne saeculum, — fuge lascivorum consortia amasionum.

**Th.** Et quid mihi tunc erit agendum?

**P.** In secretum locum secedendum, in quo te ipsam discutiendo possis lamentari enormitatem tui delicti. —

**Th.** Si hoc speras proficere, — non addo momentum morulae.

**P.** Non dubito, quin prospicit.

**Th.** Da mihi aliquantuli spatiū tempusculi, — ut proferam mammonam, quam male collectam diu servavi.

**P.** Ne sollicitaris<sup>2)</sup> pro ea. — Non desunt, qui utentur inventa.

**Th.** Non ob id sollicitor, — ut vel mihi servare, — vel amicis vellem dare; — sed nec egenis conor

---

1) Mira litterarum varietas in hac voce scribenda a librario codicis adhibetur: modo *compugtionis*, modo *compunctionis*, allis locis *compunctionis*.

2) Sic codex. Editiones: solliciteris.

dispensare, — quia non arbitror pretium piaculi<sup>1)</sup>  
aptum esse ad opus beneficii.

*P.* Recte arbitraris, — et quid de congestis actum-  
ire meditari?

*Th.* Igni tradere et in favillam redigere.

*P.* Quam ob rem?

*Th.* Ne retineantur in mundo, — quae male-  
acquisivi non absque mundi factoris iniuria.

*P.* O quam<sup>2)</sup> mutata es ab illa, quae prius eras,  
— quando inlicito amore flagrabas, — avaritiae ca-  
lore aestuabas.

*Th.* Fortasse mutabor in melius, — si annuerit deus.

*P.* Non est difficile immutabili eius substantiae —  
res ut libet mutare.

*Th.* Ibo et quae cogitavi opere complebo.

*P.* Vade in pace, — citiusque ad me revertere.

#### S C E N A I V.

*Thais.* Convenite, properamini, — nequam ama-  
tores mei.

*Amatores.<sup>3)</sup>* Vox Thaidis, nos vocantis. — Adven-  
tum maturemus, — ne illam tardando offendamus.

1) Codex non, ut Magnin docet, *piaculii*, sed quae librarius  
peccaverat (*piacillum*) ipse correxit, et formam: *piaci* retinuit.

2) Celtes: *Quantum*.

3) Codex: A. Celtes interpretatus est: *Amantes*. Magnin  
*Amatores*.

*Th.* Accelerate, accedite, — ut queam vobiscum  
verba commiscere.

*A.* O Thais, Thais, — quid sibi vult rogus, quem  
construis? — Cur pretiosarum varietatem, — divitiae-  
rum iuxta rogum congeris?

*Th.* Rogatis?

*A.* Admiramur satis.

*Th.* Exponam citius.

*A.* Hoc optamus.

*Th.* Adspicite.

*A.* Quiesce, quiesce, Thais. — Quid agis? Num  
insanis?

*Th.* Non insanio, sed sanum sapio.

*A.* Ut quid haec perditio quadringentarum auri  
librarum, — cum aliarum diversitate gazarum?

*Th.* Omne quod iniuste a vobis extorsi, — igne  
volo cremari, — ne ullus fomes vobis relinquatur  
sperandi, — me ultra vestro amori cedendi.

*A.* Subsistete paulisper, subsiste, — et materiam  
tuae perturbationis detege.

*Th.* Non subsisto, — nec sermonem vobiscum  
confero.

*A.* Cur dedignando nos fastidis? — Num alicuius  
infidelitatis nos arguis? Nonne semper satisfecimus  
tuis votis? Et tu iniquo odio nos gratis insectaris.

*Th.* Dimittite, nolite vestem meam adtrahendo scin-  
dere. — Sit satis, quod huc usque peccando vobis con-  
sensi. — Finis instat peccandi, tempusque nostri discidii.

*A.* Quo tendit?<sup>1)</sup>

*Th.* Ubi nemo vestrum posthac me videbit.

*A.* Papae! Quid hoc monstri est, quod nostri deliciae<sup>2)</sup> Thais, quae divitiis effluere<sup>3)</sup> semper laboravit,— quae mentem a lascivia numquam retraxit,— et se voluptati penitus dedit, tanta auri, gemmarumque insignia — absque retractatione perdidit, — et nos sui amasiones dedignando sprevit, subitoque non comparuit?

### S C E N A V.

*Thais.* En pater Paphnuti, venio ad obsequendum tibi promptissima.

*P.* Quia moram in veniendo fecisti, coartabar nimis verendo te iterum implicitam esse saecularibus negotiis.

*Th.* Ne id vereare, quia multo aliud mihi versatur<sup>4)</sup> in mente. Nam res familiares iuxta meum velle disposui, — meisque amasionibus publice abrenuntiavi.

*P.* Quia his abrenuntiasti, superno amatori iam nunc poteris copulari.

*Th.* Tuum est mihi velut radio praescribere, quid me oporteat factum ire.

*P.* Sequere me.

1) Celtes: tendis.

2) Codex: delicias.

3) Magnin: affluere.

4) Codex: versetur.

### III

*Th.* Sequar enim ambulatione. — O utinam sequar<sup>1)</sup> et actione.

### S C E N A VI.

*Paphnutius.* Ecce coenobium, in quo sacrarum virginum nobile commoratur collegium. Eo loci gestio te mansum ire agendaे spatum poenitentiae.

*Th.* Non contra luctor.

*P.* Intrabo et abbatissam, ductricem virginum protui susceptione placabo.

*Th.* Quid iubes me interim agere?

*P.* Mecum pergere.

*Th.* Ut iubes.

*P.* Ecce, abbatissa occurrit. — Admiror quis illi nos adesse tam cito retulerit.

*Th.* Fama, quae nulla stringitur mora.

### S C E N A VII.

*Paphnutius.* Opportuna occurris, illustris abbatissa,<sup>2)</sup> — te ipsam quaero.

*Abbatissa.* Gratanter advenis, venerande pater Paphnuti; benedictus tui adventus, dilecte dei.

*P.* Beatitudinem aeternae benedictionis infundat tibi gratia omniparentis.

---

1) Codex: sequer. Editiones: sequerer.

2) Non post: abbatissa, ut monet Magnin in codice signum parvae lacunae, sed in ipsa voce una littera erasa, ut nunc scriptum exstet: abbatiss—a.

*Abbat.* Unde hoc mihi, ut sanctitas tua dignatur invisere exiguitatem habitationis meae?

*P.* Opus est tuo iuvamine in aliqua sollicitanda necessitate.

*Abbat.* Iube<sup>1)</sup> solummodo levi famine quid me velis agere, et ego tui iussa complere tuisque votis studebo pro viribus satisfacere.

*P.* Attuli capellam semivivam, — dentibus loporum nuper abstractam, — quam tui miseratione foveri, — tui sollicitudine gestio mederi, quo adusque abiecta haedinae pellis austereitate, — ovini velleris induatur mollitie.

*Abbat.* Exprime<sup>2)</sup> rem enucleatius.

*P.* Istaec, quam vides, meretricio more vitam instituit.

*Abbat.* Miserabile.

*P.* Seseque totam lasciviae dedit.

*Abbat.* Semet ipsam perdidit.

*P.* At nunc, me hortante, Christo que coope-  
rante, frivola, quae sectabatur odiendo<sup>3)</sup> refugit, —  
et castum sapit.

*Abb.* Mutationis auctori grates.

*P.* Quia enim aegritudo animarum, — aequa ut

1) Codex: *Ju*, altera syllaba antiquis litterarum ductibus superscripta.

2) Codex: exprimere. Celtes: exprime. Optime Magnin exprime rem.

3) Celtes: obediendo.

**corporum, — contrariis<sup>1)</sup>** curanda est medelis, consequens est ut haec a solita saecularium<sup>2)</sup> inquietudine sequestrata, — sola in angusta retrudatur cellula, — quo liberius possit discutere sui crimina.

**Abb.** Hoc potissimum prodest.

**P.** Manda ut quantocius cellula construatur.

**Abb.** Parvo spatio perficiatur.<sup>3)</sup>

**P.** Nullus introitus, — nullus relinquatur aditus, — sed solummodo exigua fenestra, — per quam modicum possit victum accipere, — quem statutis diebus et horis illi debebis<sup>4)</sup> parce praebitum ire.

**Abb.** Vereor, quod delicatae teneritudo mentis aegre patiatur difficultatem tanti laboris.

**P.** Ne id vereare: nam grave delictum forte desiderat sperare remedium.

**Abb.** Verum.

**P.** Taedet me magis morarum, — quia timeo illam corrumpi visitatione hominum.

**Abb.** Cur taedium pateris? — Cur illam non includis? — Ecce cellula, quam desiderasti, est perfecta.

**P.** Placet. Ingredere Thais habitaculum, — tuis facinoribus deflendis satis congruum.

**Th.** Quam breve, quam obscurum, et quam incommodum tenellae mulieri ad inhabitandum.

1) Celtes omisit: contrariis.

2) Celtes: a solito seculariumque.

3) Celtes: perficietur.

4) Celtes: debes.

*P.* Cur habitaculum execraris? Cur ingredi horrescis? Decet, ut quae hactenus fuisti indomite vaga, — nunc tandem in solitario refreneris loco.

*Th.* Mens assueta lasciviae haud raro impatiens est austerioris vitae.

*P.* Ideo debet habenis disciplinae stringi, quoadusque desinat contra luctari.

*Th.* Quod iubet tua paternitas — non recusat subitum ire mea vilitas, — sed quaedam inopportunitas inest huic habitationi, — difficilis ad sufferendum meae fragilitati.

*P.* Quae haec importunitas?

*Th.* Erubesco dicere.

*P.* Ne erubescas, sed penitus detege.

*Th.* Quid inopportunius,<sup>1)</sup> quidve poterit esse incommodius, quam quod in uno eodemque loco diversa corporis necessaria supplere debebo? Nec dubium, quin ociosus fiat inhabitabilis<sup>2)</sup> prae nimietate foetoris.

*P.* Formida perpetis crudelitatem gehennae et desine transitoria pertimescere.

*Th.* Fragilitas mei cogit me terreri.

*P.* Convenit ut malae blandimentorum<sup>3)</sup> dulcedinem delectationis luas molestia nimii foetoris.

---

1) Celtes: importunius.

2) Codex non, ut Magnin putat, *inhabitaculum*, sed *in habitaculis*. Emendatio manu Conr. Celtis margini codicis adposita.

3) Codex: *blandimentis*. Manu Conradi Celtis in margine codicis: *torum*.

*Th.* Non recuso, non nego me sordidam non iniuria foedu, sordidoque habitatum ire<sup>1)</sup> in tugurio, sed hoc dolet<sup>2)</sup> vehementius, quod nullus est relictus locus, in quo apte et caste possim tremendae nomen maiestatis invocare.

*P.* Et unde tibi tanta fiducia, ut pollutis labiis praesumas proferre nomen impollutae divinitatis?

*Th.* Et a quo veniam sperare, cuiusve salvari possum miseratione, si ipsum prohibebo invocare, cui soli deliqui, — et cui uni devotio orationum debet offerri.<sup>3)</sup>

*P.* Debes plane orare non verbis, sed lacrimis, non sonoritate tinnulae vocis, sed compuncti rugitu cordis.

*Th.* Et si veter deum verbis orare, — quomodo possum veniam sperare?

*P.* Tanto celerius mereberis, — quanto perfectius humiliaberis. Dic tantum:<sup>4)</sup> qui me plasmasti, miserere mei. —

*Th.* Opus est eius miseratione, ne — frangar<sup>5)</sup> in dubio certamine.

*P.* Certa viriliter, — ut possis triumphum obtinere feliciter.

1) Codex: habitum ire. In margine Celtes scripsit: habitatum.

2) Editio princeps: doleo.

3) Sic codex, non ut Magnin censem, offerre.

4) Codex: dictantium. Emendatio legitur in margine, fortasse Celte apposita.

5) Codex: frangor.

**Tb.** Tuum est pro me orare, ut merear palmam victoriae.

**P.** Non optis est monitu.

**Tb.** Spero.

**P.** Tempus est optatas solitudinis repetam latebras,<sup>1)</sup> et caros visitem discipulos. Tuæ igitur sollicitudini, tnae pietati, venerabilis abbatissa, hanc captivam committo,— ut et corpus delicatum medioter foveas necessariis, — et animam sufficienter reficias saluberrimis monitis.

**Abb.** Ne solliciteris pro ea,— quia eam materno affectu fovebo.

**P.** Vadam.

**Abb.** In pace.

### S C E N A VIII.

**Discipuli.** Quis pulsat portam?

**Paphnutius.** Eia!<sup>2)</sup>

**Discip.** Vox Paphnutii, patris nostri.

**P.** Amovete pessulum.

**D.** O pater, salve.

**P.** Avete.

**D.** Coartabamur nimium pro diutina absentia tui.

**P.** Iuvat quod absui.

---

1) Codex: latabras.

2) Codex, ni fallor: eie! Magnin suspicatur: Eh, eh! rétinui lectionem Celtis: ego.

- D.** Quid actum est de Thaide?  
**P.** Iuxta meum velle.  
**D.** Ubi moratur?  
**P.** In exigua cellula — deflet sui commissa.  
**D.** Laus sit summae trinitati.  
**P.** Et benedictum nomen eius tremendum nunc  
et per aevum.  
**D.** Amen.

## SCENA IX.

*Paphnutius.* Ecce tres mensurni poenitentiae Thaides transiere, et ego ignoro, utrumne deo acceptabilis sit eius compunctio. Surgam et vadam ad fratrem meum Antonium, quo mihi manifestetur per eius interventum.

## SCENA X.

*Antonius.* Quid insperatae incunditatis accidit? Quid novi gaudii mihi contigit? Num hic est frater et coheremita meus Paphnutius? Ipse est.

**P.** Sum etenim.

*Antonius.* Bene frater venisti, bene me adveniendo laetificasti.

**P.** Haud minus tripudio tui visu, quam ta mei adventu.

**A.** Quae haec causa tam acceptabilis, tam grata nobis, quae te hoc duxit de tuis latibulis?

**P.** Enucleo.<sup>1)</sup>

---

1) Celtes: En valeo.

*A.* Hoc desidero.

*P.* Ante hoc triennium morabatur secus nos quae-dam meretrix nomine Thais, quae non solum sese perditioni dedit, sed etiam perplures secum ad interitum trahere consuevit.

*A.* Heu, gemenda consuetudo.

*P.* Hanc sub specie amatoris adii, et lascivientem animum nunc suavibus hortamentis blandiendo mulcebam, nunc acrioribus monitis minitando terrebam.

*A.* Hoc temperamentum eius lasciviae fuit necessarium.

*P.* Tandem cessit et spreta reprehensibili consuetudine castitatem elegit, — seseque in angustissima cellula concludi consensit.

*A.* Delectór audiendo in tantum, ut omnes praecordiorum<sup>1)</sup> venae intrinsecus exiliant gaudendo.

*P.* Decet tui sanctitatem; et ego quidem licet supra modum gaudeo de conversione, si levi tamen conturbor sollicitudine, eo quod vereor eius teneritatem aegre ferre diutinum laborem.

*A.* Ubi adest vera dilectio, — non deest pia compassio.

*P.* Unde tui dilectionem efflagito, — ut tu tuique discipuli mecum in orationibus concordando velitis persistere, quo adusque coelitus demonstretur, utrumne

1) Praecordiarum.

benignitas divinae miserationis — ad indulgentiam  
mollita sit poenitentis lacrimis.

*A.* Consentimus tuae petitioni libenter.

*P.* Nec dubito vos a deo exauditumiri clementer.

### S C E N A XI.

*Antonius.* Ecce, evangelica promissio in nobis  
est impleta.

*Paphnutius.* Quae haec promissio?

*A.* Ea videlicet, quae consentientes in oratione  
promisit omnia impetrare posse.

*P.* Quid est?

*A.* Paulo meo discipulo, — ostensa est quae-  
dam visio.

*P.* Voca illum.

*A.* Paule accede, — et quae vidisti Paphnutio  
expone.

### S C E N A XII.

*Paulus.* Videbam in visione lectulum candidulis pal-  
liolis in coelo magnifice stratum, — cui quatuor splen-  
didulae<sup>1)</sup> virgines praerant, — et quasi custodiendo  
astabant, — at ubi iucunditatem mirae claritatis aspi-  
ciebam, intra me dicebam: haec gloria némini magis  
congruit, quam patri et domino meo Antonio.

*A.* Tali me non dignor beatitudine.

*Paulus.* Quo dicto intonuit vox divina dicens:

---

1) Celtes: splendidae.

non, ut speras, Antonio, — sed Thaïdi meretrici servanda est haec gloria.

**P.** Laus dulcedini tuae miserationis;<sup>1)</sup> Christe, unice dei, quod meam tristitiam tam pie dignatas es consolari.

**A.** Dignus est laudari.

**P.** Ibo et mei captivam visitabo.

**A.** Tempus est, — ut illi et spem veniae — et solamen promittas beatitudinis aeternae.

### SCENA XIII.

**Paphnutius.** Thais, mea adoptiva filia, aperi fenestram, ut te videam.

**Thais.** Quis loquitur?

**P.** Paphnutius pater tuus.

**Th.** Unde mihi iucunditas tantae laetitiae, — ut tu me peccatricem dignaris<sup>2)</sup> visitare?

**P.** Licet per hoc triennium absens essem corpore, — haud modicum tamen sollicitus sum<sup>3)</sup> protuli salute.

**Th.** Non dubito.

**P.** Expone mihi historiam tuae conversationis, — modumque compunctionis.

**Th.** Hoc possum exponere, — quod non nescio me — nihil dignum deo egisse.

1) Hoc verbum in editione principe omissum.

2) Sic codex, Celtes: dignareris. Magnin: digneris.

3) Celtes: fui.

*P.* Si deus iniqüitates observabit, nemo sustinebit.

*Th.* Si tamen quid fecerim vis scire, numerositatem meorum scelerum intra conscientiam, quasi in fasciculum collegi, — et pertractando mente semper inspexi, — quo sicut naribus numquam<sup>1)</sup> molestia foetoris, — ita formido gehennae non abesset visibus cordis.

*P.* Quia te compunctione punisti, — ideo veniam meruisti.

*Th.* O utinam.

*P.* Da manum, ut te educam.

*Th.* Noli pater venerande, — noli me sordidulam his immunditiis abstrahere, — sed sine in loco meis meritis condigno mansum ire.

*P.* Tempus est, ut levigato timore incipias vitam sperare, quia tui poenitentia acceptabilis est deo.

*Th.* Eius pietati laudem ferant omnes angeli, quia non sprevit humilitatem cordis contriti.

*P.* Esto stabilis in dei timore, et permane in eius dilectione; post quindecim namque dies hominem exues, et tandem felici cursu peracto, superna favente gratia transmigrabis ad astra.

*Th.* O utinam mererer poenas evadere, — vel saltem clementius exuri mitiori igne! Non est enim hoc mei meriti, — ut doner beatitudine interminabili.

*P.* Gratuitum, dei donum non pensat, humanum

---

1) Non post *nunquam* in codice inest lacuna, ut docet Magnin, sed litterae erasæ vestigium, maius continuo in verbo: foetori—s.

meritum, — quia si meritis tribueretur, — gratia non diceretur.

*Th.* Unde laudet illum coeli concentus, — omnisque terrae surculus, — nec non universae animalis species, atque confusae aquarum gurgites; — qui non solum peccantes patitur, — sed etiam poenitentibus praemia gratis largitur.

*P.* Hoc illi antiquitus fuit in more, ut mallet misereri, quam ferire.

#### SCENA XIV.

*Thais.* Noli<sup>1)</sup> abire, pater venerabilis, — sed adesto mihi pro solatio — in hora meae dissolutionis.

*Paphnutius.* Non abeo, non<sup>2)</sup> discedo, donec anima super aethera plaudente — corpus tradam sepulturae.

*Th.* En incipio mori.

*P.* Nunc est tempus orandi.

*Th.* Qui plasmasti me, miserere mei et fac felici redditu ad te reverti animam quam inspirasti.

*P.* Qui factus a nullo, — vere es sine materia forma — cuius simplex esse, — hominem qui non est id quod est — ex hoc et hoc fecit consistere, da diversas partes huius solvendae<sup>3)</sup> hominis prospere

1) Codex: nolo.

2) Celtes: sed.

3) Celtes: solvendi.

repetere principium sui originis, quo et anima coelitus indita coelestibus gaudiis intermisceatur — et corpus in molli gremio terrae suaem materiae pacifice foveatur, — quo adusque pulvrea favilla coeunte — et vivaci flatu redivivos artus iterum intrante, — haec eadem Thais resurgat perfecta ut fuit homo — inter candidulas oves collocanda — et in gaudium aeternitatis inducenda, — tu, qui solus es<sup>1)</sup> id quod es, in unitate trinitatis regnas et gloriaris per infinita saecula saeculorum.<sup>2)</sup>)

---

1) Deest hoc verbum in codice.

2) Quod Celtes addidit, Amen deest in codice.

## VI.

# Sapientia.

### Argumentum in Sapientiam.

Passio sanctorum virginum Fidei, Spei et Caritatis,<sup>1)</sup> quas earundem veneranda genetrice Sapientia praesente et maternis admonitionibus ad tolerandas passiones hortante, Diocletianus<sup>2)</sup> imperator diversis suppliciis interfecit; quarum etiam corpora martyrio consummata<sup>3)</sup> sancta mater Sapientia collegit, et aromatibus condita quinto ab urbe Roma milliario honorifice sepelivit. Ipsa quoque quadragesima die iuxta earum sepulchra finita oratione sacra spiritum praemisit coelo.

### FABULAE PERSONAE.

**Antiochus.** **Hadrianus.** **Sapientia.** — **Fides.** —  
**Spes.** — **Caritas.**

### SCENA I.

**Antiochus.**<sup>4)</sup> Tuum igitur esse, o imperator Hadriane, — prosperis ad vota successionibus pollere, —

1) Codex semper: Karitatis.

2) In ipsa comoedia: imperator Hadrianus.

3) Codex: consummati.

4) Antiochi nomen hoc loco non omnino deest, ut docet Magnin, in codice. Litterae *An:* pallido atramento primis eius verbis praemissae.

taique statum imperii feliciter absque perturbatione exoptans vigere, — quidquid rempublicam confundere, — quidquid tranquillum mentis reor vulnerare posse, — quantocius divelli, — penitusque cupio labefactari.

**Hadrianus.** Nec iniuria, — nam nostri prosperitas — tui est felicitas — cum summos dignitatis gradus in dies tibi augere non desistimus.

**Antiochus.** Congratulor tuae almitati; unde si quid experior emergere — quod tuo potentatui videtur contra luctari, — non oculo, sed impatiens morae profero.

**Had.** Et merito, ne reus maiestatis esse arguaris, — si non celanda celaveris.

**Ant.** Huiusmodi commisso reatus — numquam fui obnoxius.

**Had.** Memini, — sed profer si quid scias novi.

**Ant.** Quaedam advena mulier hanc urbem Romam<sup>1)</sup> nuper intravit, — comitata proprii foetus pusiolis tribus.

**Had.** Cuius sexus sunt puseoli?

**Ant.** Omnes feminei.

**Had.** Numquid tantillarum adventus mulierularum aliquod<sup>2)</sup>) — rei publicae adducere poterit detrimentum?

**Ant.** Per magnum.

**Had.** Quod?

**Ant.** Pacis defectum.

**Had.** Quo pacto?

---

1) Nomen urbis omisit Celtes.

2) Celtes: *aliquid*.

*Ant.* Et quid<sup>1)</sup> magis potest rumpere civilitate cordiam pacis quam dissonantia observationis?

*Had.* Nihil gravius — nihil deterius, — quod testatur orbis Romanus, — qui undique secus christianae caedis sorde est infectus.

*Ant.* Haec igitur femina, cuius mentionem facio, hortatur nostrates avitos ritus deserere, et christiana religioni se dedere.

*Had.* Num praevaleret hortamentum?

*Ant.* Nimium. Nam nostrae<sup>2)</sup> coniuges fastidiendo nos contemnunt adeo, ut deditigantur<sup>3)</sup> nobiscum comedere, quanto minus dormire.

*Had.* Fateor, periculum.

*Ant.* Decet tui personam praecavere.

*Had.* Consequens. Advocetur, et in nostri praesentia an velit cedere discutiatur.

*Ant.* Vin' me illam advocare?

*Had.* Volo percertere.

## SCENA II.

*Antiochus.* Quid vocaris, o mulier advena?

*Sapientia.* Sapientia.

*Ant.* Imperator Hadrianus iussit te in palatio praesentari suis conspectibus.

*Sap.* Palatium cum nobili filiarum comitatu in-

---

1) Codex: quod.

2) Celtes: nostri.

3) Magnin: deditigantur.

trare non trepido, — et minacem imperatoris vultum  
cominus aspicere non formido.

*Ant.* Invisum genus christocolarum semper  
promptum est principibus ad resistendum.

*Sap.* Princeps universitatis, qui nescit vinci, non  
patitur — suos ab hoste superari.

*Ant.* Mitiga effluentiam verborum, — et perge  
ad palatium.

*Sap.* Monstra viam praeeundo, — nos subsequi-  
mur accelerando.

### SCENA III.

*Antiochus.* Hic ipse est imperator, quem in solio  
residentem conspicis, — praecogita quid loquaris.

*Sapientia.* Hoc prohibet Christi sententia, — pro-  
mittens nobis insuperabilis sapientiae dona.

*Hadrianus.* Huc ades, Antioche.

*Ant.* Praesto sum, domine.

*Had.* Numquid haes sunt mulierculae, — quas  
deferebas pro christiana religione?

*Ant.* Sunt plane.

*Had.* Unius cuiusque pulchritudinem obstupesco,  
— sed et honestatem habitus satis admirari nequeo.

*Ant.* Desine, o mi senior, admirari, — et coge  
illas deos venerari.

*Had.* Quid si illas primule aggrediar blanda  
alloquutione, — si forte velint cedere?

*Ant.* Melius est. Nam fragilitas sexus feminei —  
facilius potest blandimentis molliri.

**Had.** Illustris matrona, blande et quiete ad culturam deorum te invito, — quo nostra perfrui possis amicitia.

**Sap.** Nec in cultura deorum tuis votis satisfacere, — nec amicitiam tecum<sup>1)</sup> gestio inire.

**Had.** Adhuc mitigato furore — nulla in te moveor indignatione, sed pro tua tuique filiarum salute paterno<sup>2)</sup> sollicitor amore.

**Sap.** Nolite meae filiae serpentinis huius satanae lenociniis cor apponere, -- sed meatim fastidite.

**Fides.** Fastidimus et animo contemnimus frivola.

**Had.** Quid murmurando loqueris?

**Sap.** Filias affabar paucis.

**Had.** Videris esse summis natalibus orta, — sed tamen patriam, — genus, nomenque tuum ex te plenius cupio ediscere.

**Sap.** Licet sanguinis superbia nobis sit parvus pendenda, tamen clara ex stirpe me originem non nego trahere.

**Had.** Credibile.

**Sap.** Nam eminentiores Graeciae<sup>3)</sup> principes fuere mei parentes, — et vocor Sapientia.

**Had.** Claritas ingenuitatis rutilat in facie, — et sapientia nominis fulget in ore.

**Sap.** Frustra blandiris, — non flectimur tuis suadelis.

---

1) *Tecum* deest in editione Celtis.

2) Codex: paterna, emendatio a librario addita esse videtur.

3) Hic alia vox erasa, in cuius locum *Graeciae* suffecta.

*Had.* Dic cur advenires vel quare nostrates adires.<sup>1)</sup>

*Sap.* Nullius alius rei nisi agnoscendae veritatis causa, — quo fidem, quam expugnat, plenius ediscere, — filiasque meas Christo consecrarem.

*Had.* Expone vocabula singularum.

*Sap.* Una vocatur Fides, altera Spes, tertia Caritas.

*Had.* Quot annos aetatis volveant?

*Sap.* Placetne vobis o filiae, ut hunc stultum arithmeticā fatigem disputatione?

*Fides.* Placet mater, — nosque auditum praebemus libenter.

*Sap.* O imperator, si aetatem inquiris parvularum, Caritas imminutum pariter parem mensurnorum complevit numerum; Spes autem aequa imminutum, sed pariter imparem; Fides vero superfluum impareret parem.

*Had.* Tali responsione fecisti me quae interrogabam minime agnoscere.

*Sap.* Nec mirum, quia sub huius definitionis specie non unus cadit numerus, sed plures.

*Had.* Expone enucleatius, — alioquin non capit meus animus.

*Sap.* Caritas duas Olympiades iam volvit, Spes duo lustra, Fides tres Olympiades.

1) Sic codex; Celtes = adveneris — adires. Magnin: adveris — adiveris.

**Had.** Et cur octonarius numerus, qui duabus constat Olympiadibus, et denarius, qui duobus lustris perficitur, imminutus dicitur? Vel quare duodenarius, qui tribus Olympiadibus<sup>1)</sup> impletur superfluuus esse asseritur?

**Sap.** Omnis namque numerus imminutus<sup>2)</sup> dicitur, cuius partes coniunctae — minorem illo numero, cuius partes sunt, summae quantitatem reddunt, ut VIII. Est autem Octonarii medietas IV, pars quarta II, pars octava I, quae in unum redactae VII reddunt. Similiter denarius habet dimidiam partem V, quintam autem II, decimam vero I, quae simul copulatae VIII colligunt. E contrario autem superfluuus dicitur, cuius partes augendo crescunt, ut XII. Est enim duodenarii medietas VI, pars tertia IV, pars quarta III, pars sexta II, pars duodecima I; hic cumulus redundat in sedecim. Ut autem principalem non praeteream, qui inter inaequales intemperantias medii temperamentum limitis sortitus est, ille numerus perfectus dicitur, qui suis aequis<sup>3)</sup> partibus nec augetur, nec minuitur,<sup>4)</sup> ut VI, cuius partes, id est III. II. I, eundem senarium restituunt. Simili quoque ratione XXVIII, CCCCCXCVI, VIII millia CXXVIII perfecti dicuntur.

**Had.** Et quid reliqui?

---

1) Codex: lustris. Emendatio ab ipso librario addita.

2) Cod. imminutus.

3) Celtes: aequis.

4) Codex: auget nec minuit.

*Sap.* Omnes superflui, sive imminuti.

*Had.* Quis numerus pariter par?

*Sap.* Qui potest in duo aequalia dividi, — eiusque pars in duo aequalia, — partisque pars in duo aequalia, — ac deinceps per ordinem, — donec in<sup>1)</sup> insecabilem incurrat unitatem, — ut VIII et XVI, omnesque qui ab his in duplo fiunt.

*Had.* Et quis est pariter impar?

*Sap.* Qui in partes aequales recipit sectionem, — eiusque partes mox indivisibles permanebunt, — ut X et omnes qui ab imparibus in duplo fiunt. Hic namque numerus superiori est contrarius, — quia in illo minor terminus divisione est solutus; in isto autem solus<sup>2)</sup> maior terminus divisioni est aptus; — in illo quoque omnes eius partes nomine et quantitate sunt pariter pares; — in isto autem si denominatio fuerit par, — quantitas<sup>3)</sup> impar, si quantitas par, denominatio impar.

*Had.* Nec terminum, quem dixisti, agnosco, nec denominationem seu quantitatem scio.

*Sap.* Quando quantilibet numeri digestim disponuntur, — primus minor terminus — et postremus maior dicitur; quando autem divisionem faciendo, — quota pars sit numeri dicimus, — denominationem

1) Celtes omisit: *in*.

2) Magnin verbum: *solus* delendum putat.

3) Codex: *quantas*.

facimus; — cum autem quot<sup>1)</sup>) in una quaque parte sint enumeramus quantitatem exponimus.

**Had.** Et quis est impariter par?

**Sap.** Qui non solum unam recipit sectionem, sicut pariter par, — sed etiam et secundam, — aliquoties autem et tertiam, vel plures, — sed tamen usque ad indivisibilem non perveniet unitatem.

**Had.** O quam scrupulosa et plectilis<sup>2)</sup>) quaestio ex istarum aetate infantularum est orta.

**Sap.** In hoc laudanda est supereminens factoris sapientia, — et mira mundi artificis scientia, — qui non solum in principio mundum creans ex nihilo omnia in numero, — et mensura et pondere posuit — sed etiam in succendentium serie temporum et in aetatibus hominum miram dedit inveniri posse scientiam artium.

**Had.** Diu te sustinui ratiocinantem, — quo te mihi efficerem obtemperantem.

**Sap.** In quo?

**Had.** In cultura deorum.

**Sap.** In hoc utique non consentio.

**Had.** Si reniteris, — tormentis afficeris.

**Sap.** Corpus quidem suppliciis lacessere poteris, — sed animum ad cedendum compellere non praevalebis.

1) Magnin putat hoc loco verbum: *unitates* addendum esse, et addidit.

2) Sic Magnin. Codex: plexilis. Celtes: plexibilis.

*A.* Dies abiit, — nox incumbit, — non est tempus altercandi, — quia instat hora coenandi.

*Had.* In custodiam iuxta palatium ponantur, — et triduanae induciae illis ad tractandum praestentur.

*Ant.* Observate istas, o milites, omni sollicitudine, — nullamque illis occasionem evadendi relinquit.

#### S C E N A IV.

*Sapientia.* O dulces filiolae — et caraे pusiолае, — nolite super carceralis angustia custodiae con-tristari, — nolite imminentium minis poenarum terreri.

*Fides.* Licet corpora pavescant — ad tormenta, mens tamen gliscit ad praemia.

*Sap.* Vincite infantilis teneritudinem aetatulae — maturi sensus fortitudine.

*Spes.* Tuum est nos precibus adiuvare, — ut possimus vincere.

*Sap.* Hoc indesinenter exoro, — hoc efflagito, ut perseveretis in fide — quam inter ipsa crepundia vestris sensibus non desistebam instillasse.<sup>1)</sup>

*Caritas.* Quod sugentes ubera in cunabulis didicimus — nullatenus oblivisci quibimus.

*Sap.* Ad hoc vos materno lacte affluenter alui, — ad hoc delicate nutrivi, — ut vos coelesti, non terreno sponso traderem, — quo vestri causa socrus aeterni regis dici meruissem.

1) Sic codex, editiones: *instillare*.

*Fid.* Pro ipsius amore sponsi — promptae sumus mori.

*Sap.* Delector ex vestra ratione<sup>1)</sup> — magis quam nectareae dulcedinis gustamine.

*Spes.* Praemitte nos ante tribunal iudicis — et experieris quantum eius amor nobis attulerit temeritatis.

*Sap.* Hoc exopto ut vestra virginitate coroner, — ut vestro martyrio glorificer.

*Car.* Consertis palmulis incedamus, — et vultum tyranni confundamus.

*Sap.* Expectate donec instet hora vocationis nostrae.

*Fid.* Taedet nos morarum, tamen est expectandum.

### SCENA V.

*Had.* Antioche, iube illas Graeculas<sup>2)</sup> nobis repraesentari captivas.

*Ant.* Procede Sapientia, — teque cum filiabus imperatori repraesenta.

*Sap.* Pergite mecum filiae constanter, — et perseverate in fide unanimiter, — ut possitis palmam percipere feliciter.

*Spes.* Pergimus, ipseque nobiscum comitetur, — pro cuius amore ad mortem ducemur.

*Had.* Triduanas vobis inducias praestabat nostri serenitas, — unde si quid tractaretis utilitatis, cedite iussionibus nostris.

---

1) Celtes interposuit: o filiae.

2) Haec vox suffixa in codice in locum allus verbi erasi.

*Sap.* Summum igitur utile tractavimus, — id scilicet ut non cedamus.

*Ant.* Cur dignaris cum hac<sup>1)</sup> contumace verba miscere, — quae te insolenti fatigat praesumptione?

*Had.* Debone illam dimittere impunitam?

*Ant.* Nequaquam.

*Had.* Et quid?

*Ant.* Hortare puellulas, — et si renitantur infantiae ne parcas, — sed fac ut illae necentur, — quo rebellis mater funeribus natarum acrius torqueatur.

*Had.* Faciam quae hortaris.

*Ant.* Ita demum praevalebis.

*Had.* Fides intuere venerabilem magnae Dianaë imaginem et fer sacrae deae libamina, quo possis uti eius gratia.

*Fides.* O stultum imperatoris praeceptum, — omni contemptu dignum.

*Had.* Quid murmuras subsannando? Quem irrides fronte rugosa?

*Fides.* Tui stultitiam irrido, tui insipientiam subsanno.

*Had.* Mei?

*Fides.* Tui.

*Ant.* Imperatoris?

*Fides.* Ipsius.

*Ant.* O nefas.

1) Codicis prior lectio: *hanc a librario emendata.*

**Fides.** Quid enim stultius, — quid insipientius videri potest, — quam quod hortatur nos contempto creatore universitatis — venerationem inferre metallis?

**Ant.** <sup>1)</sup> Fides insanis.

**Fides.** <sup>1)</sup> Antioche mentiris.

**Ant.** Nonne haec summa insania — et magna est dementia — quod <sup>2)</sup> rerum principem dixisti insipientem?

**Fides.** Duxi et dico, — dicamque quoad vixerim.

**Ant.** Breve tempus vivere, et cito debes consumi morte.

**Fides.** Hoc opto ut moriar in Christo.

**Had.** Duodecim centuriones — alternando — scindant flagris eius membra.

**Ant.** Nec iniuria.

**Had.** O fortissimi centuriones, accedite — meique iuiuriam vindicare.

**Ant.** Iustum.

**Had.** Perquiere Antioche, — anne velit cedere.

**Ant.** Vin' adhuc, Fides, solita conviciorum obiectione imperatorem dehonestare?

**Fides.** Cur solito minus?

**Ant.** Quia prohiberis verberibus.

**Fides.** Verbera non compellunt me tacere, — quia nullo afficio dolore.

1) Cur Celtes haec Antiochi et Fidei verba uncis in editione principe incluserit, nescio; utique in codice sic leguntur.

2) Prior codicis lectio: *ut*; a librario superscriptum: *quod*.

*Ant.* O infelix pertinacia, — o contumax audacia!

*Had.* Corpus fatiscit per suppicia, — et mens tumet superbia.

*Fides.* Erras, Hadriane, — si reris me fatigari suppliciis. — Non ego quidem, — sed infirmi tortores deficiunt, — et sudore ob lassitudinem fluunt.

*Had.* Fac Antioche, — ut gemellae pectoris particulae absciduntur,<sup>1)</sup> — quo saltim rubore coercentur.

*Ant.* O utinam possit ullo coerceri modo.

*Had.* Forsan coercentur.

*Ant.* Inviolatum pectus vulnerasti, — sed me non laesisti. — En pro fonte sanguinis — unda<sup>2)</sup> erumpit lactis.

*Had.* In craticulam substratis ignibus assanda ponatur, — quo vi vaporis enecetur.

*Ant.* Digna est, ut miserabiliter pereat, — quae tuae iussioni contra luctari non trepidat.

*Fides.* Omne quod paras ad dolorem, — mihi vertitur in quietem; unde commode pauso in craticula, — seu in tranquilla navicula.

*Had.* Sartago plena pice et cera ardentibus rogis superponatur, — et in ferventem liquorem haec rebellis mittatur.

*Fides.* Sponte insilio.

*Had.* Consentio.

1) Celtes: abscindantur.

2) In ipso codice, non, ut Magnin docet, apud Celtem primum legitur: *unda*. Itaque non erat, quod hoc loco suppleret: *fons*.

*Fides.* Ubi sunt minae tuae! Ecce, illaesa inter ferventem liquorem ludens nato, et pro vi caumatis — sentio matutini refrigerium roris.

*Had.* Antioche, quid ad haec est agendum?

*Ant.* Ne evadat providendum.

*Had.* Capite truncetur.

*Ant.* Alioquin non vincetur.

*Fides.* Nunc est gaudendum, — nunc in domino exultandum.

*Sap.* Christe, triumphator diaboli invictissime, — da tolerantiam Fidei, meae filiae.

*Fides.* O mater veneranda, — die vale ultimum tuae filiae, liba osculum tuae primogenitae, — nec afficiare ullo moerore cordis, — quia tendo ad bravium aeternitatis.

*Sap.* O filia, filia, non confundor, — non contristor, — sed valedico tibi exultando, — et oscular os oculosque prae gaudio lacrimando, — orans ut sub ictu percussoris, — inviolatum serves mysterium tui nominis.

*Fides.* O uterinae sorores, libate mihi osculum pacis, — et parate vos ad tolerantiam futuri certaminis.

*Spes.* Adiuva nos oratione assidua, — ut mereamur sequi tua vestigia.

*Fides.* Este obtemperantes monitis nostrae sanctae parentis, — quae nos hortabatur praesentia fastidire, — quo meruissemus aeterna percipere.

*Caritas.* Maternis libenter obtemperamus monitis,  
— quo perfrui mereamur aeternis bonis.

*Fides.* Percussor accede, — et iniunctum tibi  
officium me necando imple.

*Sapient.* Abscisum morientis filiae caput am-  
plicetendo,<sup>1)</sup> — impressisque labris crebrius deoscu-  
lando, — congratulor tibi, Christe, qui tantillulae  
victoriam prastitisti puerulae.

*Had.* Spes cede meis hortamentis — paterno  
affectu tibi consulentia.

*Spes.* Quid hortaris? — quid consulis?

*Had.* Ut caveas pertinaciam imitari sororis, —  
ne similibus interreas poenis.

*Spes.* O utinam admeruissem illam imitari patiendo,  
— quo illi assimilarer in praemio.

*Had.* Depone callum pectoris, — et conquinisoe  
turificando magnae Dianaee, — et ego te propriæ pro-  
plic vice excolo, — atque extollo omni dilectione.

*Spes.* Paternitatem tuam repudio, — tua bene-  
ficia minime desidero. — Quapropter vacua spe deci-  
peris, — si me tibi cedere reris.

*Had.* Loquere parcias, ne irascar.

*Spes.* Irascere, nec sollicitior.

*Ant.* Miror, Auguste, quod ab hac vili puerula tam-  
diu columniari pateris. — Ego quidem disrumpor pœ-  
furore, — quia illum audio tam temere in te latrare.

---

1) Scriptio codicis: *amplectando* manu ipsius librarii emendata.

*Had.* Hactenus infantiae parcebam, — ultra non parcam; sed meritam ultionem inferam.

*Ant.* O utinam.

*Had.* O lictores adite, — et hanc rebellem usque ad internecionem crudis nervis caedite.

*Ant.* Decet ut severitatem sentiat tui furoris; quia lenitatem parvi pendit pietatis.

*Spes.* Hanc pietatem exopto, — hanc lenitatem desidero.

*Ant.* O Sapientia, quid murmurando loqueris — stans sublevatis oculis iuxta cadaver extinctae prolis?

*Sapientia.* Invoco omniparentem, — quo eamdem tolerantiae perseverantiam, quam praestitit Fidei, — praestet et Spei.

*Spes.* O mater, mater, — quam efficaces, — quam exaudibiles exerior tui esse preces! — Ecce te orante — anheli tortores — levatis dextris librant ictum, et ego nullum doloris sentio tactum.

*Had.* Si flagra parvi pendis, — acrioribus poenis coartaberis.

*Spes.* Infer, infer quicquid crudele, — quicquid excogites letale. Quanto plus saevis, — tanto magis victus confunderis.

*Had.* In aëra suspendatur, — et ungulis lacertetur, — quoadusque evulsis visceribus et nudatis ossibus deficiat,<sup>1)</sup> et membratim crepat.

---

1) Celtes: deficiet.

*Ant.* Imperialis iussio, — et congrua satis ultio.

*Spes.* Vulpina fraude loqueris, — et versipelli astutia, Antioche, adularis.

*Ant.* Quiesce infelix, — verbositas tua nunc est finienda.

*Spes.* Non ut speras evenerit, — sed tibi, tuoque principi nunc etiam confusio aderit.

*Had.* Quid sentio novae dulcedinis? — Quid odoror<sup>1)</sup> stupendae suavitatis?

*Spes.* Decidentia frusta mei lacerati corporis — dant fragrantiam paradisiaci aromatis, quo nolens cogeris fateri, — me non posse suppliciis laedi.

*Had.* Antioche, — quid enim mihi est agendum?

*Ant.* Novis cruciatibus incumbendum.

*Had.* Aeneum vas plenum oleo et adipe, — cera atque pice, — ignibus superponatur, — in quod ligata proiiciatur.

*Ant.* Si in ius Vulcani tradetur, — forsitan evadendi aditum non nanciscetur.

*Spes.* Haec virtus Christo non est insolita, — ut ignem faciat mitescere mutata natura.

*Had.* Quid? Audio Antioche, — velut sonitum inundantis aquae.

*Ant.* Heu, heu, domine.

*Had.* Quid contigit nobis?

*Ant.* Ebulliens fervor confracto vase ministros combussit, — et illa malefica illaesa comparuit.

---

1) Celtes: odoro.

*Had.* Fateor, victi sumus.

*Ant.* Penitus.

*Had.* Caput abscidatur.

*Ant.* Alias non absumetur.

*Spes.* O Caritas dilecta, — o soror unica! — Ne formides tyranni minas, — ne trepides ad poenas, — nitere constanti fide imitari sorores — ad coeli palatum praecedentes.

*Caritas.* Taedet me vitae praesentis, — taedet terrenae habitationis, — quod saltim ad modicum temperis separor a vobis.

*Spes.* Depone taedium, — et tende ad praemium. Non enim diu separabimur, — sed ocios in coelo coniungemur.

*Caritas.* Fiat, fiat.

*Spes.* Euge, mater illustris, gaudе, — nec tangaris de mei passione materni affectus dolore, — sed praefer *spem* moerori, cum me videas pro Christo mori.

*Sap.* Nunc quidem gaudeo, — sed tunc tandem perfecte exultans gaudeo, — quando tui sororculam pari conditione extinctam coelo praemisero, — et ego subsequar postrema.

*Spes.* Perennis trinitas, — restituet tibi in aevum — plenum absque deminutione filiarum numerum.

*Sap.* Confortare filia; — percussor invadit nos evaginato gladio.

*Spes.* Libens excipio gladium. — Tu Christe

suscipe spiritum pro tui confessione nominis — eiectum de habitaculo corporis.

*Sap.* O Caritas, soboles inclita, — spes uteri mei unica, ne contristes matrem bonam tui certaminis consummationem expectantem; sed sperne praesens utile, — quo pervenias ad gaudium interminabile, quo tui germanae fulgent coronis illibatae virginitatis.

*Caritas.* Fulci me, mater, precibus sacris, — quatinus merear interesse illarum<sup>1)</sup> gaudiis.

*Sap.* Exoro te finetenus in fide solidatum iri, — nec dubito tibi perenne tripodium donatum iri.

*Had.* Caritas, saturatus conviciis tui sororum, nimiumque exacerbatus sum prolixa ratione earum. Unde diu tecum non contendo, sed vel obtemperantem mei votis ditabo omnibus bonis, — vel contra luctantem afficiam malis.

*Caritas.* Bonum cordetenus amplector, — et malum omnino detestor.

*Had.* Hoc tibi potissimum salubre — mihiique est placabile, — ideoque leve quiddam tibi propono meae pietatis gratia.

*Caritas.* Quid?

*Had.* Dic tantum: magna Diana! — et ego ultra ad sacrificandum te non compello.

*Caritas.* Percerte non dico.

*Had.* Quare?

1) Celtes: aliarum.

*Caritas.* Quia mentiri nolo. — Ego quidem et sorores meae eisdem parentibus genitae, eisdem sacramentis — imbutae sumus, — una eademque fidei constantia roboratae. Quapropter scito nostrum velle, nostrum consentire, nostrum sapere, — unum idemque esse, — nec me in ullo umquam illis dissidere.

*Had.* O iniuria, quod a tantilla etiam contemnor homullula.

*Carit.* Licet tenella sim aetate, tamen gnara sum te argumentose confundere.

*Had.* Abstrahe illam, Antioche, — et fac, ut suspensa in equuleo — atrociter verberetur.

*Ant.* Vereor, quod verbera non praevaleant.

*Had.* Si non praevaleant, iube tribus continuais diebus ac noctibus fornacem succendi, — et illam inter bacchantes flamas proiici.

*Carit.* O iudicem impotentem qui diffidit se absque armis ignium octennem<sup>1)</sup> — infantem superare posse.

*Had.* Abi Antioche, et iniunctum officium perfice.

*Car.* Saevitiae quidem tuae satisfaciendo parebit, — sed me minime nocebit, — quia nec verbera mei corpusculum lacerare nec flammae comam vel vestes poterunt obfuscare.

*Had.* Experietur.

*Carit.* Experiatur.

---

1) Codex: octuennem.

## SCENA VI.

*Had.* Antioche, quid pateris? — Cur tristior solito regrederis?

*Ant.* Quando causam tristitiae experieris, — haud minus contristeris.<sup>1)</sup>

*Had.* Dic, ne celes.

*Ant.* Illa lasciva, quam mihi cruciandam<sup>2)</sup> tradisti, puellula — me praesente flagellabatur, — sed ne<sup>3)</sup> tenuis quidem cutis summotenus disrumpebatur. — Deinde proieci illam in fornacem, — igneum colorem prae nimio ardore exprimentem.

*Had.* Cur dissimulas loqui? — Expone extum rei.

*Ant.* Flamma erupit, — et quinque millia hominum combussit.

*Had.* Et quid contigit illi?

*Ant.* Caritati?

*Had.* Ipsi.

*Ant.* Ludens inter flammivomos vapores vagabat, — et illa laudes deo suo pangebat; illi etiam, qui diligenter inspexere, — ferebant tres candidulos viros cum illa deambulasse.

*Had.* Erubesco illam ultra videre, — quia nequo illam laedere.

1) Codex: contristarisi.

2) Codex: cruciendam. Pallido atramento littera e expuncta.

3) Haec vox omissa in codice, pallido atramento, ex libris litterarum ductibus fortasse ab ipso librario superscripta.

*Ant.* Restat ut perimatur gladio.

*Had.* Hoc fiat absque mora.

### S C E N A VII.

*Ant.* Detege duram, Caritas, cervicem, — et sustine percussoris ensem.

*Carit.* In-hoc non renitor tuis votis, — sed libens pareo iussis.

*Sapient.* Nunc, nunc, filia, gratulandum, nunc in Christo est gaudendum, — nec est, quae me<sup>1)</sup> mordet cura, — quia secura sum de tua victoria.

*Carit.* Imprime mihi, mater, osculum, — et commendam iterum Christo spiritum.

*Sapient.* Qui te in meo utero vivificavit, — ipse suscipiat animam, quam coelitus inspiravit.

*Carit.* Tibi Christe, gloria, qui me ad te vocasti — cum martyrii palma.

*Sapient.* Vale, proles dulcissima, — et cum Christo iungeris in coelo — memento matris iam matronae effetae<sup>2)</sup> te parientis.

### S C E N A VIII.

*Sap.* Convenite, illustres matronae, et mearum cadavera filiarum mecum sepelite.

*Matronae.* Corpuscula aromatibus condimus, et exequias honorifice celebramus.

1) *Me omisit Celtes.*

2) *Emendatio Schurzfleischii. Codex et Celtes: effectae.*

*Sap.* Grandis benignitas — et mira pietas, — quam mihi impenditis, — meique mortuis.

*Matronae.* Quae tibi sunt commoda exequimur mente devota.

*Sap.* Non dubito.

*Matronae.* Ubi vis eligere locum sepulturae?

*Sap.* Tertio millario ab urbe, si vobis non displicet prolixitas.

*Matronae.* Non displicet, — sed elata<sup>1)</sup> funera sequi placet.

### SCENA IX.

*Sap.* Ecce locus.

*Matronae.* Hic nempe servandis reliquiis est aptus.

*Sap.* Flosculos uteri mei — tibi terra servandos committo, — quos tu materiali sinu foveto,<sup>2)</sup> — donec in resurrectione maiori reviridescant gloria. Et tu, Christe, animas interim imple splendoribus, dans pacificam requiem ossibus.

*Matronae.* Amen.

*Sap.* Grates vestrae humanitati, — pro solamine quod contulistis meae orbitati.

*Matronae.* Utrumne vis nos hic tecum morari?

*Sap.* Non.

*Matronae.* Cur non?

1) Non solum Celtes, sed ipse codex: *elata*, neque, ut Magnin docet, *electa*.

2) Codex: faveto.

*Sap.* Ne ex meo commodo vobis ingeratur molestia. Sit satis quod — tres noctes mecum permansistis. — Abite in pace, revertimini cum salute.

*Matr.* Vis nobiscum abire?

*Sap.* Minime.

*Matr.* Et quid meditaris agere?

*Sap.* Hic remanere, si forte veniat mea petitio — et impleat ut quod desidero.

*Matr.* Quid petis? — quid desideras?

*Sap.* Id solummodo, ut oratione completa moriar in Christo.

*Matr.* Restat ut expectemus donec et te supulturae tradamus.

*Sap.* Ut libet. — Adonai Emmanuel, — quem retro tempora divinitas edidit omniparentis, — et in tempore virginitas<sup>1)</sup> genuit matris, — qui ex duabus naturis unus Christus — mirifice consistis, nec diversitate naturarum — unitatem personae dividens, — nec unitate personae diversitatem naturarum confundens, — tibi iubilet iucunda serenitas — angelorum — dulcisque harmonia — siderum; — te quoque collaudet — totius scibilis rei scientia, — omneque quod ex elementorum formatur materia; — quia tu, qui solus cum patre et spiritu sancto es, — forma sine materia, ex patris voluntate et spiritus sancti coope ratione non respuisti fieri homo — passibilis huma-

---

1) Sic codex, non, ut Magnin docet, virginitatis.

nitate, — salva divinitatis impassibilitate; — et ut nullus credentium in te periret, — sed omnis fidelis aeternaliter viveret, — mortem nostram non dignatus es gustare, — tuaque resurrectione consumere. — Te etiam perfectum deum, hominemque verum — recolo promisso omnibus qui pro tui nominis veneratione, vel terrenae usum possessionis relinquerent, — vel carnalium affectum propinquorum, postpone- rent, centenae vicissitudine mercedis recompensari et aeternae bravio<sup>1)</sup> vitae debere donari; — huius spe animata promissi — feci quod iussisti, — sponte omittens<sup>2)</sup> soboles, quas peperi. — Unde tu pie promissa solvere ne moreris, — sed fac me quantocius absolutam corporeis vinculis ex receptione filiarum laetificari, — quas pro te mactandas obtulisse non distuli, — quo te illis agnum virginis sequentibus et novum canticum modulantibus ego iucunder audiendo, — illarumque laetificer gloria, — et quamvis non possim canticum virginitatis dicere, — te tamen cum illis merear aeternaliter laudare; — qui non ipse qui pater, — sed idem es quod pater, — cum quo et spiritu sancto unus dominus universitatis, — unusque rex summae et mediae atque imae rationis — regnas et dominaris — per interminabilia immortalis aevi saecula!

*Matronae.* Suscipe domine! Amen.

---

1) Codex: bravium.

2) Celtes: omittens.

Versus quidam Hrostvithae, qui in codice comoedias excipiunt, nondum editi.

**I. Versiculi de laudibus virginitatis.<sup>1)</sup>**

Quicunque viam cupid inire salutis

D

I

C

A

T

Aspice nupta deo, quae sit tibi gloria terris,  
 Quae maneant coelis, aspice nupta deo.  
 Munera laeta capis, festiva, fulgida taedis,  
 Ecce venit sponsus, munera laeta capis.  
 Et nova dulcisono modularis carmina plectro,  
 Sponsa hymno exsultans, et nova dulcisono.  
 Nullus ab altithrono comitatu segregat agni,  
 Quam affectu tulerat, nullus ab altithrono.

---

1) Haec inscriptio deest in codice. Utrum vero hi sint versiculi, quos H. Bodo citare videtur: *ad virgines sacras*, necne, penes alios sit iudicium. Cf. Freytag de Hrotsvitha poetria p. 15. Utique Hrotsvitha puellari quasi lusu hos versiculos ita in schedulas conieciisse videtur, ut lecturis simul offerrentur et absconderentur. Ex infima enim schedula secundum interiorem marginem porriguntur litterae primi illius enuntiati, (Quicunque — salutis), deinde e superiore schedulae loco singulæ verbi (dicat) litteræ sibi, ut descriptsimus, supponuntur, tam sequuntur octo illi versus.

## II. Visiones quaedam apostoli Johannis.<sup>1)</sup>

Johannes coelum virgo<sup>2)</sup> vidi patefactum,  
 Et nitido rerum patrem solio residentem,  
 Ordine bis duodenorum pulchro seniorum  
 Stipatum, claris qui praefulsere coronis,  
 Omnes induiti vestes candoris opimi.  
 Vidi et in dextra regis librum residentis,  
 Secretum cuius potis est vir cernere nullus.  
 Angelus hic dignum quaerens non repperit ullum  
 Solvere qui clausi posset signacula libri.  
 Iste Johannem consolatur lacrimantem,  
 Agnum solvendis<sup>3)</sup> aptum testando sigillis.  
 Ecce patent agno libri secreta peremto,  
 Cui mox coelicolae laudem proni cecinere.  
 En testes, clara clamantes voce sub ara,  
 Accipiunt vestes nitido candore micantes;  
 Angelus a solis veniens ortu rutilantis  
 Designat regis servos in fronte perennis,  
 Post haec candidulas aspexit stare catervas  
 Agnum laudantes, palmas manibusque ferentes,  
 Ecce silent! — media coeli aves velut hora. —  
 Hic iuxta sacram cum turibulo stetit aram,

1) Neque haec inscriptio in codice legitur.

2) Cf. Hrotsvitha: Historia ascensionis domini. p. 101 edit. Schurzfleisch:

At nunc Joannem tecum remanere fidelem — Impero qui  
 gemmis fulget bene virgiditatis.

3) Cod. solventis.

Et tulit incensum, signans sacra vota piorum!  
 En mulier pulchre fulget circumdata sole  
 Bis senum nitida stellarum compta corona,  
 Cuius vult natum serpens sorbere tenellum,  
 Sed draco proteritur, puer ad deumque levatur,  
 Et draco de coelo cecidit proiectus in arva.  
 Hic agnum stantem supra Siōn aspice montem,  
 Et nova virgineum modulantem cantica coetum.  
 Haec fera congreditur senis virtute draconis  
 Quam prostravit equo verax egressus in albo,  
 Iste ligat veterem sub tartara saeva draconem.  
 En vitae libri, mortisque tenentur aperti,  
 Et surgent vivi, fuerunt qui morte soluti,  
 Quis sua pro meritis dantur mox praemia cunctis.

---

#### Corrigenda.

- p. 87 l. 20 lege: rumpe pro: rumpue..
- p. 116 annot. 2 l.: retinuit pro: retinui.
- p. 118 annot. 1 adde: codex.
- p. 136 annot. 1 lege: omiserit pro: uncis incluserit.





FEB 2 1988

Cornell University Library

THE ZARNCKE LIBRARY

COLLECTED BY FRIEDRICH ZARNCKE

THE GIFT OF

William H. Sage

1893

A.

834/3

1/10/93

Cornell University Library  
PA 8340.A122

Comoedias sex,



Digitized by

Google 3 1924 026 589 741

